ANTONII ANGELINII

E S. I.

INSCRIPTIONES

LIBER I.

ROMAE
EX OFFICINA LIBRARIA IOSEPHI AVRELII.

AN. MDCCCLXVII.

ANTONII ANGELINII

E SOCIETATE IESV

INSCRIPTIONES

LIBER I.

ROMAE
EX OFFICINA LIBRARIA IOSEPHI AVRELII.
AN. MDCCCLXVII.

MARIA

MAGNA . DEI . MATER

TIBI

QVIDQVID . HOC . LIBELLI . EST

DEDICO

PROPRIVMQVE . DONO

SI . NVLLVS . CALAMO . TITVLVS . EXCIDIT
NVLLVMQVE . INCISVM . EPIGRAMMA . EST . MARMORI
QVIN . TVO . CONCREDITVM . FVERIT . PRAESIDIO
TVAQVE . OPE . ANTE . COMMVNITVM
TV . AEQVI . BONIQVE . CONSVLE . HVNC . LABOREM
MIHI . NON . FRIVOLAE . CAPTATIO . AVRAE
NON . CONGERENDI . PECVLII . CVRA
NEC . AD . HONORES . OBREPENDI . STVDIVM
HAEC . LEVIORA . MINVTA . OPVSCVLA
CHARTIS . ILLINERE . SVASIT
AT . AMICIS . OBSEQVI . PARENTARE . PROBIS
VIRTVTIS . VIAM . COMMONSTRARE
DEVM . ET . CAELITES . DEMERERI
VENVSTVM . DVXI . ET . LIBERALE
CONTRA . PETENTI . FRVCTVS . DENEGARE . AGELLI
SVBACTI . ET . CONSITI . SVDORE . MVLTO
INVENVSTVM . CENSVI . ET . ILLIBERALE
ERGO . O . BONA . O . PATRONA . O . MATER
HANC . QVALISCVMQVE . EST . OPELLAM
TIBI . NON . VNO . NOMINE . OBLIGATAM
TVERE . ET . PAVPEREM . RESPICE . COLONVM

DE CHRISTIANORVM SACRIS

ORATIO

STVDIIS BONARVM ARTIVM ORDIENDIS

HABITA IN COLLEGIO ROMANO

XV KAL. DECEMBRES AN. MDCCCLVII.

I. Omnium artium et disciplinarum est, viri ornatissimi, ut quum nexu et societate inter se contineantur, singulae sibi a singulis tum praesidium tum opem mutuentur. Cum enim scientia, cuius particula pertenuis humanis mentibus est attributa, a fonte uno et capite, a Deo optimo maximo proficiscatur: hinc efficitur ut cum eumdem doctrinae omnes auctorem et parentem ferant, etiamsi in varias discretasque abeant regiones, numquam tamen ab insitae innataeque necessitudinis vinculis expediantur. Doctrinarum autem materies id postulat. Cum enim aut Deum, aut hominem hominumque coetus, aut spectabilem hanc rerum universitatem sibi assumant, cumque haec inter is intercedat ordo, ut homo naturae, homini autem Deus praesit: idcirco disciplinae omnes se

mutuo aut causarum aut finium aut rationum communione contingunt, et permeant. Inops vero ieiuna et sterilis foret disceptatio siqua posset iniri, quae non aliarum opibus et eruditione iuvetur. Itaque qui ad singularem doctrinam recta contendit, in eaque excolenda omnem mentis aciem figit, omnique diligentia adlaborat, is probe de reliquis meritus censendus est.

Quocirca qua potissimum aetate litterae liberalesque doctrinae floruerunt, in ea nobis occurrunt homines ingenio otioque abundantes, qui non omnia per quae vagari scientia potest, amplexi, sed in singulas artes ad quas natura duce ferebantur, singuli incubuerunt. Hinc ab aliis naturae leges vestigatae, astrorum motus ad calculum revocati, hominum iura et officia descripta: ab aliis monumenta antiquitatis e tenebris in apricum prolata.

Atque utinam pari, qua reliquae artes contentione et solertia, christianae religionis exordia, antiquae in precibus in hymnis in re divina, in cultu denique omni consuetudines et usus fuissent conquisiti! Longe uberiores in probos mores, in pietatem, in rem publicam commoditates dimanassent. Neque haec in eam sententiam disputo, ut ab iis doctrinis quae in veri et naturae inquisitione versantur, adolescentes deterream, aut quidquam de eorum qui eas excolunt, dignitate et gloria detraham: sed ea mente ut ad religionis nostrae, qua nihil sanctius nihil ad virtutem nihil ad caste beateque vivendum aptius a Deo tributum est hominibus, amorem et studium animos qua possum ope exacuam.

Hanc ob causam cum mihi nil tale cogitanti demandatum sit ut verba apud vos in annuo studiorum exordio haberem, anceps diu non haesi, nec animi pependi,

qua de re vestras aures si minus libenter, attamen ut confido, haud sane gravate detinerem. Occurrebat enim immensa eaque ditissima rei christianae in antiquitatis monumentis delitescens et veluti confertim aggesta supellex, quam si proferrem vestrosque ob oculos tenui ex parte explicarem, Christi Domini religionis speciem quodammodo et vultum contueremur. Atque eo etiam magis quod quum non pauci anteactis aetatibus, et hac nostra in Latii in Hetruriae in Greciae in Aegypti in Indorum Sinarumque ritus et monumenta ingenium omne otiumque conferant, aequum non est sacros ritus qui nobis a maioribus de manu in manum traditi sunt, reliquis antiquitatis studiis posthabere. Itaque operam me non lusurum confido, si hodierna die christianorum sacra in dignitatem inque proprium decus vindicare aggrediar.

II. Ac primo qui omnem a re christiana exterioris rationem cultus amovent, quique sacrificia Deo Uni Trino Aeterno oblata, hymnos quibus eius laudes praedicamus, vota quae concipimus, preces supplicationesque publicas, quibus Dei opem poscimus, aedes sacras aediumque partes, ceteraque religionis ornamenta ceu supervacua nulliusque frugis reiiciunt, et crimini dant Ecclesiae, quod ea tueatur et foveat, eos duco adeo antiquitatis rudes, adeo naturae qua constituti sumus, legum imperitos ut dedocendi potius sint quam refellendi. Neminem enim fugit, nos ita a natura comparatos ut cum non una mente constemus, corpore ad prodendum animum egeamus, sensuumque praesidio ad societatis ad quam sponte ducimur, communionem ineundam utamur. Cum in vitales auras editi in hanc rerum universitatem pro-

dimus, sensus in nobis dominantur, hisque aut ducibus aut rectius administris veluti manu ad vires mentis exserendas ducimur. Aetate autem adolescente et firmata ut ingenium alatur, ut doctrinae opes parentur, ut bonis artibus imbuamur, sapientium nobis disciplina et institutis est opus: hinc colloquia hinc scripta hinc doctorum vox, hinc mandata libris doctrina quae ad omnem posteritatem pertineat; quibus discendi praesidiis exuti aut perpetuo hebetes vitam in tenebris traheremus, aut vix primum doctrinae limen iniremus.

III. Hac autem lege Deus hominum genus continuit, ut quum sibi legitima et summa sit potestas in animam aeque ac in corpus, sociatis quoque mentis et corporis officiis a nobis colatur, eique tum mente haereamus, tum mentis indices et testes affectus exseramus. Itaque mancus, nec suis expletus numeris cultus foret, nisi foras emineret, nec animi latentes motus aut lingua interprete aut corporis habitu et flexu efferret. Religio enimvero stirpitus avulsa aresceret, nisi arae templa sacrificia sacerdotii dignitas eam cum hominibus communicarent. Hinc praeclara et apud omnes vulgata Tullii vox « urbem facilius moenibus quam templis carere. »

Et sane nulli hominum coetus iure sociati uspiam invenientur, apud quos omni aetate non habitus honos, non tributa sacris dignitas fuerit. Una cum homine nata, cum homine propagata fuisse sacrificia, qui ritus omnium princeps est et caput rituum, sacris litteris commonemur. Deus enim, ut patrum graecorum sententia fert, parentem humani generis Adam sacra docuit, ne haec hominum ingeniis permissa perpetuo immutarentur: quamvis doctrina et virtute praestantes viri censeant, rationis ad-

monitu et ductu Abelem hostiis e grege electis, Cainum agri fructibus Deo fuisse operatos: quibus sacris et leges constitutae, et aucta dignitas aetate Enos, ut sacrae scripturae verba innuunt[1]. Persequi non vacat quae de Noe, quae de Abrahamo divinis commendata sunt litteris: horum enim sacra adeo grata Deo fuerunt, ut foedus cum Noe sanxerit, et foederis icti vadem arcum varios ducentem ab adverso sole colores signarit in nubibus: Abrahae vero hostias discerptaque hostiarum membra e caelo delapsa flamma corripuerit, eique Deus receperit, futurum aliquando ut ex eius nepotibus is oriretur, quem orbis terrarum vota arrectis expectatione animis communis auctorem salutis praestolabantur.

IV. Atqui quo arctioribus sibi vinculis Deus hebraeam gentem devinciret, eamque ne ad idola dilaberetur, deterreret, omnia ritibus, omnia sacrorum religione communivit: quae sacra ad se placandum et colendum instituta metu poenae confirmavit. Vestras obtundêrem aures, si festos dies, si sacerdotio, aut pontificatu auctos, eorumque consecrationem, officia, vestes, si aram, mensam, musicos modos, si nuptiarum si funerum ritus, si sepulcra, si sacrorum formas et nomina percurrerem. Habetis igitur, auditores, religionem quam voce nutuque suo Deus constituit, publicis solemnibusque caeremoniis ornatam et communitam.

Enimvero ut illi, quibuscum est nobis negotium, probe teneant, non modo Dei instinctu et admonitu, sed

1 Gen. IV. 26. « Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos: iste coepit invocare nomen Domini. » Consule Pereiri Comment. in Genes. lib. VII. cap. 4.

naturae habitu et vi homines ad prodendam caeremoniis religionem ferri, ut instructa argumentorum acie eos urget S. Thomas, animo reputent moenibus facilius quam templis carentes urbes posse inveniri. Oculis quaeso collustrent, quot Isidi, quot Anubi, quot Serapidi aras excitarint Aegyptii, quot Carthaginenses Iunoni delubra, quot Athenienses Minervae, quot Delii Apollini, quot Veneri Paphii! Animum advertant, quo studio ignem sacrum aluerint Persae, quot fana Sinenses draconibus construant, quot liba offerant quot hostias: quibus inferiis manes placarint Hetrusci, quot hac in urbe augurum, pontificum, vestalium virginum sodalitates et collegia! quot festi et solemnes dies! agonalia Iano, lupercalia Pani, paganalia Diis praesidibus, compitalia Laribus, dionysia Baccho [1]. Ne autem plura quae sunt ferme innumera consecter, comprehendam brevi, auctore utens Augustino, vitae societatem nullo pacto posse consistere, nisi sacrorum communio intercesserit [2].

V. Sed diutius in improbis hominibus ab errore ad saniorem mentem revocandis immorari non vacat. Si enim alio animo si aliis oculis Christi Domini sacra intuerentur, divinam in illis vim persentirent, seque respicerent. Cum enim Ecclesia vivum Christi Domini corpus sit, vitam Christi vivat, Christi spiritum hauriat eoque agatur, cumque actus et mores, vitae indices et testes sint: hac de causa, quidquid agat, quidquid eloquatur, quidquid moliatur, in eo sese effundat, seque prodat divina virtus

1 Quem in numerum excreverit turba deorum apud Aegyptios, in Graecia, et Romae, fuse persequitur Tullius lib. III. de Natura Deorum.

2 S. Augustinus contra Faustum lib. XIX, cap. 2.

opus est. Et sane illud immortalitate dignum ingenium, illud sapientiae et doctrinae lumen Innocentius III, cuius in rem christianam merita nullus aetatum flexus, nulla umquam delebit oblivio, cum rei divinae ordinem, et singulas partes esset diligentissime persecutus, haec effatus est: singula divinis sunt signata mysteriis, singula animum caelesti voluptate perfundunt, singula pietatem cient alunt fovent[1]. Nec alia mens, nec alius fuit sermo patribus Tridenti conscriptis, cum illis quibus irrisui et despicatui essent caeremoniae, quas sancte custodit Ecclesia, sacris interdixerunt: simulque eas maximis ornarunt laudibus, quod ad fidem et pietatem vel maxime conducant[2].

Quo autem studio qua cura in illis et tutandis et servandis advigilarit Ecclesia, vel ex hoc intelligas, quod primis tribus saeculis cum in Christi Dei asseclas saeviret tyrannus, eosque ad necem satellite immisso raperet, abdita terrarum petebant, in imas specus, quae Neapoli Puteolis et vel in primis Romae plurimae sunt, subrepebant, inque conclavia recondita coeuntes rei divinae aderant, sancta mysteria de altari libabant, in Christi milites cooptabantur, et pietatis esse ducebant iis, qui vita functi erant, parentare[3].

VI. Cum vero pace constituta, caput extulit christiana religio, metuque soluta se liberius explicuit: qua amplitudine aedes sacrae aedificatae, quo cultu arae ornatae, quam pretiosa supellex in rem divinam collata, memoriae proditum est. Nec temporis nec loci huius est

1 Innocentius III. Prologo Mysteriorum Sacramenti Eucharistiae.

2 Concil. Trident. can. XIII de Sacramentis.

3 Haec persequutus sum in libello, quem inscripsi *Dissertazione archeologica de' primi cimiteri di Roma Cristiana. Roma 1844 tipografia Salviucci.*

vel brevissime attingere, quibus rem christianam hac in urbe monumentis ornarint, eiusque latius provexerint dignitatem maximi sacrorum antistites Silvester, Hadrianus, Paschalis, Leo; quae a solo templa excitarint Constantinus, Constantia eius filia, Honorius augusti; quibus solido ex auro et argento vasis lateranensem, vaticanam, Praxedis, Anastasiae, Clementis aedes pietas civium ditarit[1]. Honestissimae artes pingendi, sculpendi, caelandi auri argenti aeris, linearis pictura in templis extruendis et ornandis certatim adlaborarunt, unique religioni sua a vandalica et gothica clade exordia, sua incrementa, absolutionem suam debent, ut Lanzius, Vinkelmannus, Cicognara, Agincurtius historiis mandarunt.

Pietatis autem studium adeo exarserat, romanosque cives is amor cineres sanctorum colendi incesserat, ut festis diebus confertissimum agmen, cui se immiscebat Hieronymus qui haec refert, imas specus, in cuius parietibus hinc et illinc conditi martyres servantur, adiret, totosque dies in illis lustrandis traduceret[2]. Augustinus vero nondum sacro lustratus fonte Mediolani ita caere-

1 Anastasius Bibliothecarius in vitis Romanorum Pontificum.

2 « Dum essem Romae puer, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum ceteris eiusdem aetatis et propositi diebus dominicis sepulcra Apostolorum et Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quae in profunda terrarum defossae ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, et ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur *descendunt in infernum viventes* : et raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram quam foramen demissi luminis putes : rursumque pedetentim acceditur, et caeca nocte circumdatis illud virgilianum proponitur

« Horror ubique animos simul ipsa silentia terrent. »

S. Hieronymus in Ezechielem cap. 40.

moniis capiebatur, ita avidas aures divinis concentibus praebebat, ut in lacrymas totus abiret [1].

VII. Ego vero ut me vobis indicem, auditores, cum tacitus mecum ipse revolvo, quam affabre et fideliter sacrae aedes nostris subiiciant oculis caelestem Hierusalem, quam veluti corporeis vinculis solutus intuitus est Ioannes apostolus, animo non mediocriter afficior. Tres ad solem exorientem fores, in medio templi altare aureum, in altari Agnus ad humani generis admissa expianda mactatus: in altari candelabra septem, et lampades: solium assurgit sublime, soliumque in faciem arcus obnubit iris versicolor: solium circumdant quatuor et viginti seniores, qui modo assurgunt, modo sedent, modo proni procumbunt; Angeli nivea palla amicti ministrant, thus igne sacro adoletur, volumen profanis occlusum oculis recluditur. Carmina suaviter canentium chorus, vocum variarum concordia, Deo honos habitus, gratiae actae, ibi assonat trisagion, personat amen, personat alleluia: ibi e singulis regionibus in unum coactus conventus [2]. Sed quid opus est plura? Sive enim Christi Domini cruciatus, obitamque necem moestis ritibus, moestisque vocibus recolat Ecclesia; sive illis, qui vitae munere functi sunt, iusta persolvat, et caelestem a Deo pacem adprecetur, sive antelucanis hymnis, et supplicationibus iram Dei deliniat, sontibusque veniam a Deo exoret, quid ad piam mentis aegritudinem validius? Sive sepositis ornata vestibus, auro argentoque renidens, hilares inter concentus Christi Dei prosequatur triumphos, quid ad animos erigendos commodius?

1 S. Augustinus Confess. 9. 6.
2 Ex Apocalypsi S. Ioannis.

VIII. Nimium longe abirem, auditores, si quae in Gregoriano sacrorum codice, in Leoniano, in Gotho-hispano, quem vulgo Mozarabicum dicunt, in Gotho-gallico, in pervetustis Ordinibus sunt ad pietatem eximia, vel brevissime attingerem. Pauca tamen ne vestris videar optatibus deesse, ex alexandrina s. Marci, et ex hierosolymaria s. Iacobi liturgia excerpam: in quas liturgias suam contulere operam, suasque curas viri eruditissimi Renaudotius, et Assemanius.

Dum rei divinae operatur sacerdos, his saepe verbis quibus nihil exaudiri suavius duco, populo bene precatur: Ἐιρήνη πᾶσιν, Ἐιρήνη πᾶσιν, Pax omnibus pax omnibus: Diaconus vero advocatam concionem commonet identidem « Κλίνατε Θεῷ μετὰ φόβου Deum proni veneraminor: Τὰς κέφαλας ὑμῶν τῷ Θεῷ κλίνατε Deo caput flectite » προσχῶμεν Θεῷ μετὰ φόβου, Vacemus Deo, illumque reverentia prosequamur « Ἐπί προσευχὴν στάθητε ut oretis surgite: Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ Ἰησοῦ κλίνατε Caput Iesu Christo flectite: » Πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ, ite in pace. [1]

Mentem autem non mediocriter commovet, et suavissime agit oratio quae osculum caritatis et pacis praecedit: « Caeli regnator Domine respice Ecclesiam tuam, nosque oves tuas: tuam largire nobis pacem, tuam caritatem, tuumque praesidium: munus nobis Spiritus tui sanctissimi tribue, ut corde puro, et integro nos invicem suaviemur. Absit dolus, mala fraus absit, absit pestilens iniuriarum memoria: hinc facessat livor, simultas, aliena a catholica fide institutio. Nos vero fraudum immunes,

1 Divina Liturgia sancti evangelistae Marci apud Renaudotium tom. I, apud Assemanium lib. IV. part. IV.

et ab omni culpa remoti, eadem caritatis societate devincti ut in unum Christi corpus coalescimus, ita eodem spiritu Christi agamur, eadem fide confirmati, spe eadem freti [1]. » De quo ritu haec Cyrillus : Animi, qui in gratiam cum inimicis rediit, et omnem extersit iniuriae memoriam, pignus et index est osculum pacis : quod Paulus sanctum, Petrus caritatis osculum vocat [2].

IX. Hic me res ipsa monet, ne tacitus veritatem quae in re divina latet, quaeque sacrorum specie obvolvitur, praeteream : religionem enim et pietatem produnt ritus, suaque obiecta imagine animum ad immortalia sublimem attollunt. Non enim, ut haereticis calumniari mos est, christianos ritus necessitas tulit, sed penitiores altiusque reconditae causae, quae te formam religionis docebunt. Quid est quod, his compellat verbis Vigilantium causae suae fidens Hieronymus, medio sole collucent in sacris aedibus faces, collucent dum evangelium legitur, cerei? num ut dispellantur tenebrae? Laetitiam, et bene comparatum animum ad Christi Domini praestanda praecepta luminum nitor designat [3]. Eusebio, Paulino, Ennodio au-

1 Liturgiae orientales loc. cit.

2 Cyrillus hierosolymarius in catechesi mystagogica v.

3 Praestat audire Hieronymum corripientem argute Vigilantium : « Quando legendum est evangelium, accenduntur lumina, iam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum. Unde et Virgines illae evangelicae semper habent accensas lampades suas, et ad Apostolos dicitur : Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris : et de Ioanne Baptista, Ille erat lucerna ardens et lucens : ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in psalterio legimus : « Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine et lumen semitis meis. » Libro contra Vigilantium num. 8. Oper. tom. II, edit. Vallarsi.

Idem epistola XLII ad Marcellam : « Saccus orationis signum atque ieiunii est. Cerei, ut accenso lumine sponsi expectetur adventus. Calices

ctoribus discimus in sacrarum aedium vestibulo sacros fontes priscis aetatibus constitutos, quibus de animi candore cum illuc pedem inferimus, commoneremur [1]. Idem Eusebius laudi vertit Constantino, quod vestem candidam, quam sacro fonte rite ablutus induerat, adamarit eximie, eamque praetulerit purpurae, ceu collati sibi lustralibus undis candoris monumentum et pignus [2].

X. Cyrillus evolvens ritus sancte servatos in Syria, quaerit quid sit quod protenta ad occidentem dextera nuncium satanae remittamus; ad orientem autem conversi sacramentum fidei solemnibus verbis edamus [3]. Cum sacro ablueris fonte, tunicam exuis, ut pravis te cupiditatibus exui adsignifices: ter mergeris, terque emergis ex undis, ut Christum Dominum vita functum eumque mortis victorem in te referas: in os tibi afflat sacerdos,

mortificationem carnis ostendunt, et animum semper ad martyrium praeparatum. »

1 Tertullianus lib. De Oratione cap. XI.

Eusebius Historiae Ecclesiasticae libro X, cap. 4.

Paulinus Epistola XXXIII ad Alethium, qua principis aedis romanae S. Petri atrium, et epistola XII ad Severum, qua sacram s. Felicis Nolani aedem describit, fontem ante limen memorat. Haec de aede nolana

« Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro. ».

Ennodius vero haec de fonte ante sacram aedem Ostiensem S. Pauli

« Unda lavat carnis maculas, sed crimina purgat
Purificatque animas mundior amne fides.
Quisque suis meritis veneranda sacraria Pauli
Ingrederis supplex, ablue fonte manus. »

Hunc vero ritum excepit annis volventibus aqua rite piata in limine aedium sacrarum.

2 Eusebius in vita Constantini lib. IV, cap. 62, edit. Valesii.

3 Haec et alia bene multa nitide et eleganter persequitur s. Cyrillus Hierosolymarius in cathechesibus mystagogicis.

Adi quoque Augustinum in epistola 119 ad Ianuarium.

ut malus abigatur daemon; tibi frons, tibi aures, nares, pectus, sacro oblinuntur oleo ut animo erecto, metuque omni depulso fidem Christi profitearis. Sed quid opus est plura? cum Christus Dominus hanc veritatis tradendae viam inierit, et nobilissima virtutum documenta imaginibus veluti corporea specie induerit?[1].

Ceterum uberrima haec seges, quam carptim Hieronymus, carptim Augustinus, plenius Cyrillus Hierosolymarius legerant, demessa omni ex parte est ab Innocentio III, qui mysteria in re divina delitescentia articulatim est persecutus in suis scriptis: sub cuius operis calcem est haec Pontifice digna sententia: non profanis nec humana obductis caligine, sed caelesti luce illustratis oculis sacra Christianorum sunt conspicienda[2]. Sed haec hactenus.

XI. Ne autem mihi, ne vobis eruditissimi lectissimique viri, ne causae desim, extremo loco id attingam, quo uno vel maxima sacrorum commendatio continetur. Fidei catholicae tutamen, caelestis doctrinae confirmatio, plenior de errore, deque errorum patronis triumphus sacris concredita sunt, sacris attributa: sacrorum enim communio tum a fidei communione manat, tum fidei concordiam prodit. Haec enim qua Deum solemni ritu colit Ecclesia,

1 Multa nobis in evangeliis, multa in apocalypsi, multa in veteri foedere occurrunt, quae hanc in qua sumus, sententiam confirmant. Unum aut alterum exemplum producam. Christus Dominus discipulos commonens ut alacres munia virtutum obeant, exemplum ducit ab expeditis ad carpendam viam, alteque praecinctis. Ioannes docet significari thure preces sanctorum, septem candelabris septem spiritus Dei, niveis vestibus mentem nullius consciam criminis, nullaque labe pollutam.

2 Innocentius III capite ultimo libri VI Mysteriorum Missae. Operae pretium foret aureum hoc volumen in vulgus recentioribus curis edere, ut pietas alatur, mentesque in fide confirmentur.

qua sacris operatur, qua festos agit dies, qua preces fundit, qua divinas modulatur laudes, qua docet et erudit populum, eumque a caducis ad caelestia traducit, non humana vox est sed divina, non singularis sed omnium gentium, non recentibus usurpata aetatibus, sed ultimae antiquitati aequalis, non in angulis non in tenebris, sed in luce et in oculis omnium, non hominum arbitrio permissa, sed coetuum sapientissimorum munita suffragiis, Pontificum Maximorum sancita sententiis, Patrum praeconiis probata, sanctissimis mysteriis sacrata: cui voci qui refragatur, is religionis desertor, is a romanae ecclesiae castris transfuga censendus est.

Enimvero sacrorum in Galliis antistites alloquens summus rei christianae rector et magister s. Caelestinus I docet, publicis fidissimo antiquitatis testimonio concreditis precationibus, quas suo et omnium nostrum nomine Deo fundit Ecclesia, fidei tesseram nostraeque religionis specimen exhiberi: iisque in medium allatis arguit erroris Pelagianos viribus naturae tribuentes initium fidei, et incrementa virtutum. In hanc vero Innocentius ivit sententiam, qua haud scio an nobilius et ad patrocinium causae quam agimus, queat aptius afferri: Legem credendi lex statuit supplicandi. Adeo clara se fundit ex christianorum sacris veritas, ut errorum tenebras fuget, et singulari in Deum amore mentes corripiat [1].

Quot vero ab hoc veluti instructissimo armamentario arma ad dimicandum ceperint propugnatores catholicae

1 S. Caelestini litteras ab eorum criminationibus, qui eas falsi insimulant, vindicavit firmissimis argumentis Ioannes Baptista Favre e S. I. in dissertatione de Capitulis s. Caelestino tributis praeposita thesibus quae in Collegio Romano anno MDCCLIV sunt propugnatae.

doctrinae, quis est qui nesciat? His rem christianam armis defendit Iustinus Martyr [1]; his Tertullianus [2], his Basilius [3]: his armis instructus cum Fausto cum Vitali cum Iuliano dimicavit Augustinus, his primam in infantibus culpam, his divino nobis auxilio opus esse ad praemia aeterna assequenda evicit. Pelagianos vero sic argute et salse compellat: Utinam vecordes et intellectu infantes resipiscant, et cum adeo mente adeo oculis capti sint, ut nec litterarum sacrarum testimonia, nec nostrae vim disceptationis arripiant, aures saltem praebeant Ecclesiae vocibus, quibus ad eorum refellendum errorem nihil clarius potest inveniri [4].

Vitalem vero sic refellit: aut inscite nugari operamque ludere censenda est Ecclesia, cum supplices ad Deum voces manusque tollit, et caelestis auxilii munus flagitat, aut nos Dei ope et praesidio ad vitam sancte pieque exigendam egere fateamur necesse est [1]. Arma eadem

1 S. Iustinus philosophus et martyr apologia II.

2 Tertullianus de Corona militis cap. 3.

3 S. Basilius libro de Spiritu Sancto cap. 27.

4 Augustinus lib. de Bono Perseverantiae cap. 23: « Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis eius, ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, coniugem habuit infidelem, et non ei petivit a Domino mentem obedientem in christianam fidem? Quis autem sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit: Da illis Domine perseverare usque in finem: non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere: ac non potius super eius talem benedictionem et ore credente, et corde confitente respondit Amen? Cum aliud in ipsa oratione dominica non orant fideles dicentes maxime illud: Ne nos inferas in tentationem: nisi ut in sancta obedientia perseverent. Sicut ergo in his orationibus, ita et in hac fide nata est et crescit et crevit Ecclesia. »

1 Idem epistola 107 ad Vitalem: « Exerce contra orationes Ecclesiae disputationes tuas, et quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, et pro

contra Vigilantium, et Luciferianos expedivit Hieronymus, et sacra quae rite servat Ecclesia, legis instar esse contendit[1]. Iure autem S. Basilius omnem cum religionis nostrae inimicis quaestionem diremit affirmans: « Verba in sacris usurpata divina sunt, non humana, nec impune sacri contemnuntur ritus; qui enim eos repudiat, respuit evangelium[2]. » Tanti autem fuerunt caeremoniae Epiphanio, ut posteaquam doctis et laboriosis chartis prava impiorum dogmata coarguerat, statuerit, in tantis inscitiae et erroris tenebris clarissimum lumen a sacris ritibus praeferri, quo christiani coetus a nefaria haeresi internoscantur[3].

XII. Fac enimvero, certamen tibi cum iis sit, qui hac nostra aetate omnia verbosis strophis involvunt, errores serunt, fabellas effutiunt, fucum imperitioribus faciunt, eosque laqueis quaestionum irretiunt; nonne tibi, ut horum audaciam retundas, fraudesque malas in apertum producas, ad manum est in euchologiis, in liturgiis, in caeremoniarum codicibus veritas, quae contra hominum calliditatem, et versutas rationes facile se per se ipsa defendat? Quorum codicum si antiquitatem spectes, ad annos amplius mille tibi est regrediendum; si fidem, adsunt exempla religione summa, et cura in bibliotheca vaticana, mediolanensi, parisiensi, londinensi, et in sacrarum aedium tabulariis servata: adsunt viri doctrina et

catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro fidelibus, ut in eo quod esse coeperunt, eius munere perseverent, subsanna pias voces, et dic te non facere, quod hortatur. Inaniter igitur et perfunctorie potius quam veraciter Deo fundimus preces, si ad eius non pertinet gratiam convertere ad fidem contrarias hominum voluntates. »

1 Dialogo contra Luciferianos num. 9. edit. Vallarsi.

2 S. Basilius libro de Spiritu Sancto cap. 27.

3 S. Epiphanius libro ultimo adversus haereses num. 21, 22, 23, 24, 25.

sanctitate spectata, qui in illis edendis strenuo adlaborarunt [1]. Sed operi prope absoluto fastigium imponamus: res ipsa loquatur.

Quae nobis rata et firma esse debent de Trinitate, ea exhibet codex liturgicus gotho-hispanus, cum Deo Uni et Trino supplices sacerdos voces attollit die festo martyrum Christi Iuliani et Basilissae quos sanctum connubii foedus rite sociaverat [2]. Eodem codice magistro discimus,

1 Longe antiquior est liturgiarum aetas, quam quae communi vulgatoque sermone perhibetur. Quas enim liturgias codices referunt, eae usu in christianis coetibus erant receptae, nec memoriae tantum traditae, multis enim immutationis et varietatis patuissent incommodis; sed concreditae scriptis quae interciderunt, et recentioribus editis libris loco motae sunt. Exemplo sit Ecclesia hierosolymaria: huic erat liturgia, quae nomen praefert s. Iacobi, qui eas gentes primus rexit antistes, quaeque ut Iosepho Aloisio Assemanio visum est (Praefat. lib. IV Codic. liturgic., part. 2, Missale hierosolymitanum) eumdem Iacobum fert auctorem. Liturgiae huius leges et formam saeculo quarto populum docebat s. Cyrillus hierosolymarius, eaque dicendi ratione utebatur, ut facile agnoscas, eos ritus antiquitus receptos, sancte servatos, inque omnium oculis sitos. Tertullianus libro ad Scapulam ait: « Sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro et ipsius: » si sacrificium, ergo et ritus: nam sacrificium ratis formis et verbis absolvitur; has autem formas non arbitratui hominum permissas, sed firmas manentesque fuisse tum historicis monumentis tum ratione duce et magistra docemur. Huc accedit Epiphanii auctoritas, qui Haeresi LXXIX Apostolos et Iacobum Christi Domini fratrem rituum, quibus res divina peragitur, auctores et parentes autumat. Constitutiones etiam Apostolicae, quibus aliqua fides habenda est, Ecclesiae hierosolymariae morem referunt, quum sacra christianorum memorant. Perantiqua autem liturgia Alexandriae re congruit cum hierosolymaria, paucis sententiis, formisque dissidet. Quid memorem romanam Ecclesiam? Ante Gelasium sua fuit Romae liturgia, eaque scripto mandata: in quam suas contulit curas Gelasius, suas Gregorius Magnus, qui in ordinem preces, ritusque digesserunt.

Optime de codicibus liturgicis edendis, et hoc nomine de re christiana meriti sunt prae ceteris Goarius, Leo Allatius, Martenius, Renaudotius, Mabillonius, Muratorius, Bianchinius, Assemanius, Thomasius cardinalis.

2 « Trinitas vera et indivisa, Deus summe une et trine, qui inter Iulianum et Basilissam magnum et spirituale connubii foedus statuisti: quo una coniuncti in gratia, spiritu non carne fructificarent, praesta nobis ut et

Petro honoris et potestatis sedem principem tributam, inque eo ceu lapide ad fundamentum iaciendum comparato extructam nobilissimam Ecclesiae molem [1]. Quae autem de Virgine Dei Matre Maria in vetustissima S. Iacobi liturgia feruntur, adeo eximia sunt, ut cum primum mihi in oculos incurrerunt, operae me pretium duxi facturum, si ea vobiscum, viri sapientissimi magnaeque Matris clientes studiosissimi, communicarem. Virtutum enim forma et absolutum exemplar illi tribuitur: omnis expers labis praedicatur, dignitate praestans, ornanda praeconiis, Domina nostra, Dei Mater et Virgo, cuius precibus nixi quod speramus, assequimur [2]. Quod eximium dominae nostrae Mariae decus Ambrosius versibus est persecutus [3].

spiritu adoleamus, et desideria carnis non perficiamus. » Missale Gothicum iuxta regulam B. Isidori die VII Ianuarii pag. 699, edit. Rom. an. 1804. Adi Alexandrum Lesleum e S. I. disserentem de Liturgia Gothica et Mozarabica.

1 « Claves regni caelestis accepit Petrus; censor credentium constitutus intromittendi in caelum probos et excludendi improbos ius tenet: quo navis rectore fluctibus non mergimur. » Miss. Goth. die XXIX Iunii.

2 Divina liturgia s. Iacobi, apud Asseman. cod. Liturg. lib. IV. p. 2.

3 « Veni, Redemptor gentium,
Ostende partum Virginis,
Miretur omne saeculum:
Talis decet partus Deum.
Alvus tumescit Virginis,
Claustrum pudori permanet,
Vexilla virtutum micant,
Versatur in templo Deus. »

Plures in hominum manus venere nomine Ambrosii hymni; re pauci eum parentem ferunt: hos inter hic hymnus sibi locum vindicat. Operum s. Ambrosii tom. 2. pag. 1221 edit. Paris. Maur. Consule mentem editorum pag. 1219.

XIII. Christiani autem sacrificii, a quo ceu fonte perenni omnes dimanant, et ad quod ceu caput referendi sunt ritus, veritas patet ita, in promptuque est omnibus, ut nec mea nec aliorum interpretatione egeat, nec planius exprimi queat. Uno enim liturgiarum praesidio munitum sacrificium nulla hostium vel instructissimorum tela reformidat.

Ad manum sit Iacobi liturgia, cum qua nec aetate nec auctoritate conferri possunt reliquae tum in Graecia, tum in Aegypto, tum in orientis regionibus usurpatae [1].

Itaque diaconus primum animos adstantium comparat, ut pie se gerant, et laudibus efferant Agnum Dei qui in altari mactandus est: tum Ecclesiae gratulatur, cui Christus Dominus corporis sui et sanguinis mysteria concredidit [2]. Sacerdos vero eadem edit verba, quae Christus, eamdem induit mentem, quam Christus, eodem fungitur munere, idem mysterium eodem ritu absolvit,

1 Haec de Iacobi Liturgia sapienter et vere Renaudotius: « Liturgia Iacobi reliquarum omnium canon est: » Dissert. de Syriacis Liturgiis, num. VII. tom. II. Orientalium Liturgiarum. Et num. II: « Sane maximus omnium Syrorum de Iacobi Liturgiae antiquitate et auctoritate consensus est, in quo illorum traditio, graecarum ecclesiarum traditioni est plane similis. »

2 Diaconus sic eloquitur: « Stemus decenter et oremus, gratias agamus, adoremus et laudemus Agnum Dei vivum, qui offertur super altare. Divinitas sese demisit ad peccatores filios Adam. Beata es Ecclesia fidelis, ob dona quae tibi contulit Dominus tuus, corpus et sanguinem suum sanctum. Stemus decenter orantes, stemus cum timore et tremore, stemus cum modestia et sanctitate; quia ecce oblatio infertur, et maiestas exoritur: ianuae caeli aperiuntur, et Spiritus Sanctus descendit super haec mysteria sancta et illibata. » Liturgia s. Iacobi, tom. 2 Liturgiarum Orientalium Eusebii Renaudotii pag. 29, 30. — Apud Assemanium Codicum liturgicorum lib. IV, part. 2. pag. 130.

« Deus Pater, ne avertas faciem tuam a nobis, dum sacrificium hoc tremendum et incruentum celebramus. » Loc. cit.

quo Christus. Populus vero fidem, qua sacerdoti ad aram operanti adhaeret, exerit succlamans Amen [1].

1 Liturgia s. Iacobi apud Renaudotium pag. 32: apud Assemanium pag. 136: « Sacerdos elevans vocem accipit Oblatam, et dicit: Cum ergo suscepturus esset mortem voluntariam pro nobis peccatoribus ipse immunis a peccato; in ea nocte, qua tradendus erat pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas immaculatas et incontaminatas, et elevatis oculis in caelum aspexit ad te Deus Pater, et gratias agens benedixit, sanctificavit, fregit, et dedit discipulis suis sanctis Apostolis dicens: Accipite, manducate ex eo vos omnes: Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam. » « Populus respondet: Amen. »

Liturgiae Orientales apud Renaudotium et Assemanium.

Concilium laodicenum canone XIX haec nos monet: « Postquam presbyteri pacem episcopo dederint, tunc laici sibi pacem dent. » Collect. Conc. Labbaei et Cossartii.

Constitutiones Apostolicae lib. II, cap. 57 haec de osculo pacis tradunt: « Qui autem pontifici adest diaconus, plebem commoneat: Ne quis contra aliquem, ne quis malo dolo. Tum vir virum mutuo osculo donat in Domino, femina feminas; nemo vero id dolose praestet, ut Iudas. » Heic nos non praetereat, constitutiones apostolicas referre ritum Ecclesiae orientalis, et maxime hierosolymariae, idque liquido occurret componenti orientales liturgias cum Constitutionibus Apostolicis.

Et libro VIII cap. XI idem innuunt Constitutiones: « Diaconus monet omnes: Salutate vos mutuo osculo sancto, clerus episcopum, viri viros, feminae feminas. »

S. Iustinus Martyr apolog. I, num. 65, edit. maur.: « Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμετα, nos invicem osculo donamus. » Heic Iustinus, qui anno christiano CLXIII mortem fidei testis oppetiit, ritus percenset qui in re divina servabantur.

Eumdem innuit morem Athenagoras Legatione pro Christianis num. 33, edit. maur.; eumdem Clemens Alexandrinus Paedagogi libro III, cap. 2; eumdem Liturgia s. Gregorii nazianzeni, et Basilii.

Ritum hunc, quem pie sancteque custodit Ecclesia, tradunt quoque Liturgiae antiquiores latinae, ut mozarabica tom. III Concil. Hispaniae pag. 265, edit. rom.; liber missalis ambrosianus, Ordines romani.

Cyrillus hieros. Catechesi mystagogica V. edit. Tuttei.

« Sacerdos alta voce: Similiter post caenam vinum in calice aqua miscens, gratias egit, benedixit, sanctificavit, deditque discipulis suis sanctis Apostolis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam. » « Populus: Amen. »

Hanc autem fidem et excitat et alit in illis qui adsunt, sacerdos, antequam sacra de altari delibent. Commonentur enim ut submissi, et capite prono Christi Domi corpus et sanguinem, unde sibi vitae caelestis spem et praesidia petant, sancte colant. Cum vero divina eos mensa dignatur sacerdos, singula verba pietatem, singula amorem quo feruntur in Christum Deum, testantur [1].

XIV. Quamvis vero liturgiae huius sententiis nihil afferri queat apertius, nihil explicatius: attamen ut cau-

« Sacerdos alta voce: Hoc facite in mei memoriam: quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem istum bibetis, mortem meam annuntiabitis et resurrectionem meam confitebimini, donec veniam. »

« Populus: Mortis tuae, Domine, memoriam agimus, resurrectionem tuam confitemur. »

« Diaconus: Inclinate capita vestra coram Deo misericordi, coram altari propitiatorio, et coram corpore et sanguine Salvatoris nostri, in quo vita posita est suscipientibus illa, et suscipite benedictionem a Domino. »

« Sacerdos: Tibi inclinant servi tui capita sua, expectantes misericordias uberes a te. Benedictiones copiosas, quae a te sunt, mitte Domine, et sanctifica animas, corpora, spiritusque nostros, ut digni simus communicare corpori et sanguini Christi Salvatoris nostri. » Apud Renaudotium Liturgia cit. pag. 40.

1 Sacerdos manu Christi Domini corpus attollens clamat: « Sancta sanctis in perfectione puritate et sanctitate traduntur. »

Tum addit: « Praesta Domine, ut sanctificentur corpora nostra per corpus sanctum tuum, et purificentur animae nostrae per sanguinem tuum propitiatorium. »

Mox sancta impertiens mysteria ait: « Corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi detur tibi in veniam delictorum, et remissionem peccatorum in utroque saeculo. »

Inter haec Diaconus concinit: « Fratres mei accipite corpus Filii, clamat Ecclesia: bibite sanguinem eius cum fide, et canite gloriam: hic est calix, quem miscuit Dominus noster super lignum crucis: accedite, bibite ex eo in remissionem peccatorum. » Liturgia cit. apud Renaudotium pag. 42.

Hic autem non est praetereundus vigens in hierosolymaria, alexandrina, reliquisque Orientis ecclesiis ritus populum sacris corporis et sanguinis Christi Domini mysteriis alendi: qui ritus perdiu et apud latinos viguit: sed ab eo iustis de causis decedendum duxerunt romani Pontifices.

sae in quam ingressi sumus, novum pondus accedat, mentem proferam Cyrilli hierosolymarii pontificis, qui populum ritus eosdem pedestri sermone docuit. Cum ad Agni divini mensam accedis, ait Cyrillus, divinam inis naturam, corpori tuo et tuo sanguini se suo corpore et sanguine coagmentat Christus, Christo Deo coalescis, Christo innutriris et vivis [1]. Manum manui suppone, ne minimum quid de Christi corpore intercidat: gemmis enim et auro longe pretiosior est vel pertenuis particula. Ad sanguinis vero divini poculum pronus accede, labiisque sanguine Christi perfusis meritas Deo gratias age. [2]

Nisi me temporis angustiae intercluderent, neve plus aequo humanitate et indulgentia vestra abuterer, optimum factu ducerem alexandrinam s. Marci liturgiam cum latinis et gothis liturgiis conferre, easque in causae quam suscepi, patrocinium advocare. Sed causa stat; nec pluribus est oneranda argumentis. Tantum vero ponderis hisce catholicae religionis antiquis monumentis inesse viri eruditi licet a nostris institutis alienissimi consuerunt, ut errore reiecto sese in romanae ecclesiae castra receperint. Confitentem habemus Hugonem Grotium [3], Ernestum Grabium [4], et nostra memoria Fridericum Hurter,

1 Ἵνα γενη. μεταλαβὼν σώματος, καὶ αἵματος Χριςοῦ, σύσσωμος και σύναιμος αὐτοῦ. Cyrillus hiero-olymarius catechesi mystagogica IV et V, edit. Tuttaei. Difficulter autem voces σύσσωμος καὶ σύναιμος vocibus latinis redduntur, idem enim sonant ac eodem corpore et sanguine coalescens et vivens. Easdem voces invenies apud Chrysostomum hom. VI. in epist. ad Hebraeos: apud Isidorum pelusiotam lib. III, ep. 195: apud Cyrillum alexandrinum lib. X in Ioannem: apud Hilarium contra Constantium lib. III, num. 2.

2 S. Cyrillus hierosolymarius Catechesi mystagogica V.

3 In libello cui titulus Votum pro pace.

4 Commentariis in Irenaeum.

qui Innocentium III de re divina disserentem legens consilia in melius retulit, et a suis descivit [1].

XV. Sed finis sit. Ut autem illuc unde digressa est, se referat oratio, comprehendam brevi: accurata sacrorum inquisitione et notitia pietatem in Deum ali, fidem confirmari, animum ad immortalia erigi, rei christianae dignitatem et decus accedere, arma ad catholicae veritatis defensionem aptissima expediri. Id probe noverat mens provida Benedicti XIV Pontificis Maximi; et voce et exemplo ad haec studia recolenda viros eruditissimos Assemanium, Azevedum, Lesleum hortatus est, et locum hisce disciplinis in hoc collegio tradendis esse iussit. Ad haec coetum e lectissimis viris constituit, qui statis diebus apud se ad quirinales aedes coiret, deque sacris christianorum se et quaerente et lacessente disceptationem iniret. Quo factum est, ut incredibili ardore nostri homines ad liturgias vestigandas sese contulerint, nulloque unquam tempore hae disciplinae vehementius excultae fuerint, quam Benedicto XIV Pontifice [2]. Quam enim urbem religionum orbi terrarum magistram, arcem fidei, veritatis vindicem, sedem Pontificum maximorum gentes omnes admirantur et colunt; in ea prope iure suo excoli haec studia vel maxime debent.

1 Nascimento e rinascimento: Memorie della mia vita e cenni sopra la Chiesa, di Federico Hurter. Sciaffusa 1846.

2 Quam eximie de studiis liturgicis meritus fuerit Benedictus XIV, fuse persequitur Emmanuel de Azevedo e S. I. in praefatione tomi VIII Operum Benedicti XIV. Consule quoque epistolam, qua suum opus Benedicto XIV dedicat Iosephus Aloisius Assemanius.

DE VITA ET MORIBVS
BARTHOLOMAEI PACCAE CARDINALIS
COMMENTARIVS

AD

BARTHOLOMAEVM PACCAM

ANTISTITEM VRBANVM

MAGISTRVM ADMISSIONVM

D. N. PII IX P. M.

EN . TIBI

BARTHOLOMAEE . PACCA

IMAGINEM

STILO . TENVI . ADVMBRATAM

PATRVI . TVI . MAGNI

QVEM . NOMIME . ET . MORIBVS

REFERS

I. Quid Bartholomaeo Paccae debeat Roma, quid res christiana, fasti memores loquentur.

Bartholomaeo patria Beneventum; dies natalis ipse natalis dies Christi Domini anno MDCCLVI: parentes Horatius marchio et Christina e dynastis Malaspinis. Generis amplitudo ab avis et maioribus: gens enim Malaspina Lunensibus diu imperitavit: Pacca vero domi militiaeque claruit, summosque a Northmannorum aetate magistratus e re publica gessit.

II. A parentibus qua voce qua exemplis semina virtutis in pueri animum immissa, quae ut vividiora pubescerent, suosque tempore maturo ederent fructus, Neapolim quum octavum iniret annum, in nobilium ephebeum Societati Iesu instituendus mittitur: tum Romam in collegium Clementinum, in quo litterarum et philosophiae spatia emensus est: hinc in sacram iuvenum nobilium Academiam adsciscitur, ubi P. Francisci Antonii Zaccariae e Societate Iesu hortatu et ductu iis est instructus armis, quae ingruente rei christianae et publicae clade erant capessenda.

III. Nihil in Bartholomaeo iuvenile, nisi aetas: virtus annos anteibat. Eximia mentis indoles sapientibus nutrita disciplinis, modestia attactu vitiorum immunis, suique mens rite compos animum illi Pii VI adiunxerunt, qui tantum Bartholomaeo tribuit, ut undetrigesimum decurrenti annum salebrosam ad Rhenum legationem concre-

deret, eumque Damiatae pontificatu maiore augeret IV Kalendas quintiles anno MDCCLXXXV.

IV. Ancipiti apud Germanos bello laborabat religio: rei christianae hostes animis ex communi temporum acerbitate elatis graviora moliebantur, quam comprimi aut propulsari possent; collatisque studiis in romanae sedis iura modo clandestinis fraudibus, modo aperta vi irruebant. Eo ventum est, ut Bartholomaeo in ipso legationis aditu et quasi vestibulo foret consistendum, omni ad rem gerendam via interclusa.

His obseptus claustris animum non despondet Pacca: obices modo amovet, modo perrumpit, tempora ad procerum mentes sibi demerendas molliora captat: hos obsequio delinit, illos tenaci constantiae robore frangit. In quorum doctrina praesidium religionis residere novit, eos ad veritatis vindicias editis in vulgus scriptis ineundas hortatur: labantes firmat, morantes concitat, bene animatis studium rei strenue gerendae iniicit. Omnia circumspicit, omnia in posterum prospicit: nullae aut discriminis aut certaminis vices illum imparatum aut inscium offendunt. A quibus rei christianae impendebat periculum, eos patronis, quorum auctoritate nitebantur, exuit, eorum molitiones disiicit, consilia praevertit.

Hac mentis alacritate et constantia legatus ad Rhenum Pacca id assequutus est, ut religioni gravibus conflictatae aerumnis consuleret, eamque ab extremo in quod ab hostium fraudibus vocabatur, discrimine sospitaret. Sed unde rei publicae clades, inde plenior et insperata rei christianae salus.

Belli e gallicis regionibus in Europam longe lateque excurrentis incendium provincias Rheni corripuit: Pro-

ceres rerum suarum trepidi, avitis deturbati imperiis, effugium hac illac quaeritantes, omnem cum Romano Pontifice de iure decertandi mentem exuerunt.

V. Hac apud Rhenanos legatione defunctum Bartholomaeum Pius VI ad Lusitanos mittit anno MDCCXCV. Longe autem iniquiore loco rem christianam in Lusitania quam in Rheni provinciis offendit legatus. Gravis adhuc iis alte haerebat regionibus labes, quam Iosephus Carvalhus a Pombal diu rerum potitus omniaque miscens, consiliis legibusque latis consciverat. Impune grassabantur errores, impune in vulgus serebantur prava Febronii, Quesnellii, aliorumque huius furfuris dogmata: quibus madida doctrinis adolescebat in lyceis iuventus, sacraque Pontificum Romanorum scita, sacras ecclesiae leges, ceu regum potestati illatam vim ceu regnorum administrationi iniectas compedes detrectabat. Tantae aerumnarum moli propulsandae impar Mariae reginae et adolescentis filii Ioannis, qui sibi Sexti agnomen adscivit, consilium, impares vires: horum enim rectam de re christiana instauranda mentem technae procerum fraudesque fallebant. Inclinatas in eo regno et labantes religionis opes suffulcire qua potuit maxima connisus est sollertia Bartholomaeus: cuius laboribus si par fructus constitisset, caput aliquando e tot calamitatibus lusitana ecclesia extulisset.

Ulyssipone commorantem Bartholomaeum in patrum cardinalium senatum IV Kalendas februarias anno MDCCCI adlegit Pius VII, qui summum rei christianae magisterium, Pio VI in exilio et vinculis demortuo, proxime iniverat: eique dignitatis insignia in sacra lusitanorum regum aede detulit rite Ioannes princeps. Anno vertente

e lusitana legatione redeuntem Bartholomaeum omni benevolentia complexus est Pius VII, e cuius animo exhausti a legato pro rei christianae dignitate labores numquam exciderunt.

VI. Alienissimum tempus inciderat: bella ex bellis serebantur: animis metu contractis nec quid vitarent, nec quid sequerentur, occurrebat. Quibus nullum in nostras provincias ius praeter vim inerat, ii omnia miscere, omnia ad se trahere, aerarium, milites, causarum cognitionem, civitatum praefecturas, summos imosque magistratus: impetus palam in rem publicam armato milite fiebat.

Anno MDCCCVIII XVI Kalendas quintiles Urbe per vim exacto Iulio Gabriellio cardinale, penes quem summa rei publicae erat, in eius locum Pius VII Bartholomaeum Paccam quem unum adversis vicibus parem, nec metu flecti, nec frangi aerumnis noverat, sufficit, et negotiis publicis praeficit. Animo praecipiebat Bartholomaeus, quanta periculi moles ab armatis cohortibus, et secundo bellorum eventu superbientibus impenderet: romanas opes attritas et infirmas: nihil se nec obluctando nec indulgendo proficere: iniquis exordiis iniquiores exitus futuros. Pii VII tamen imperata capessit, ne onus defugere periculi metu videretur. Quo in munere quid aerumnarum non hausit? quibus curis vigiliisque pepercit? quid inexpertum reliquit? Si Roma consiliis defendi potuisset, Bartholomaei consiliis satis defensa fuisset: sed nullus inter arma consiliis locus.

VII. Anno MDCCCVIII postridie nonas septembres quum vis Bartholomaeo in aedibus quirinalibus nihil suspicanti inferretur, eumque in exilium miles abriperet,

adest e vestigio Pius VII indigne ferens tantum facinus, voce oculis vultu satellitem increpat, Bartholomaeum manu sua in penitius conclave abducit.

Terror in dies gravior iniiciebatur: nullus effugio super locus: omnes ad salutem viae obseptae. Pontificem adeundi conveniendique erepta potestas: excubiae ad aedium aditus actae: si qui accederent, recederentve, invidiose dispiciebatur. Plures perdiu menses Pius VII conclusus et obses, regnique administrandi potestate exutus caruit publico, caruit sollemnibus festisque supplicationibus, captivo adsimilis sese conclavi parietibusque texit. Nihil non expertus Pius quo suae dignitati, et civium saluti prospiceret, rerum novarum auctores sacris interdicit IV idus iunias anno MDCCCIX.

VIII. Quod Pio VII omnes boni metuebant, quodque caecis serebatur rumoribus, erupit. Pridie nonas quintiles anno MDCCCIX, nocte intempesta turmae gregalium adsunt composito; partitisque vicibus aedes quirinales obsident: qua imae fores ad septem triones et murus humilior, eum admotis scalis transcendunt, claustra refringunt, limina postibus e cardine emotis perrumpunt; succedunt tectis; Pii VII penetralia armatis patescunt. Cohors sacri lateris custos ut iussa erat, non arma vertit, manus dat praedonibus, ne aedes augustae sanguine et miserrima clade polluantur.

Pius VII tanto in discrimine suae haud immemor dignitatis, metum omnem exuit: virtutum praesidio munitus, animoque ad extrema quaeque paratus circumsistitur a praedonum manipulo, abripitur, eodemque conclusus essedo cum Bartholomaeo Pacca magnis itineribus Gratianopolim in Gallias abstrahitur.

Pontificis Maximi vicem doluit christianus qua late patet orbis, ingemuere omnes ordines, eumque in vincula coniectum gemitus Italiae prosequutus est. Urbs fidei magistro sacroque patrum cardinalium senatu viduata squalore et lacrimis conficiebatur: immane facinus nemo non exhorruit.

IX. Pium VII praecipiti noctes atque dies fuga fractum, aestuque rapido modo non enectum unus Pacca solari, unus aegrotantem officiis et ope prosequi, unus a curis ad hilaritatem revocare. A Pii VII, cui fide consilio omnique solatio aderat, latere abstrahitur Pacca, Fenestellas inter confragosa Alpium iuga coniicitur, in custodiam ceu onustum criminibus caput detruditur postridie nonas sextiles anno MDCCCIX. Qua erat animi aequitate et constantia, Bartholomaeus non sese abiecit, viresque a religionis studio hauriens mentem ad caelestia erexit, carcerisque diutinum squalorem litteris fusisque ad Deum precibus delinivit: hinc quatuor, quos in custodia exegit annos, sibi haud prorsus iniucundos fluxisse fassus est.

Postridie nonas februarias anno MDCCCXIII exeundi potestate facta, Bartholomaeus ad Pium VII Fonte Bleudi in Gallia obsidem advolat; senique sanctissimo, qui se animi angebat, adest, moerorem quo conficiebatur, abstergit, eique est auctor, ut foedis initam conditionibus concordiam rescindat, et acta refigat.

X. Ut belli, quo Europa longe lateque conflagrarat, incendium resedit, pacisque diu expetitae exordia populis caede, rapinis, exilio, vastatione agrorum, militum descriptione attritis illuxere: Pius VII quinquenni custodia eductus, Urbem suae dignitatis sedem secundissima effusarum obviam civitatum gratulatione et plausu inivit IX Kalendas iunias anno MDCCCXIV. Pii libertate, in libertatem adserta religio est; Pii reditu Roma sibi red-

dita et reviviscere visa est, diuturno quo contabuerat, desiderio recreata.

Bartholomaei sapientia et consilio usus est Pius VII, ut rem publicam constitueret, calamitatum vestigia deleret, ordinem iudiciorum revocaret. Bartholomaeo auctore et duce sacri coetus instaurati, qui tridentinae synodi scitis interpretandis, qui Ecclesiae iuribus tutandis, qui perduellibus religionis vindicandis, qui christiano nomini inter dissitas gentes propagando, qui libris notandis, qui minorum pontificum causis diiudicandis praeessent.

Operam autem in id contulit Pacca, ut Societas Iesu datis a Pio VII sollemnibus litteris in avita iura revocaretur: cuius beneficii memoria nullo aetatum flexu nostris in historiis consenescet.

XI. Ad rem christianam et publicam provehendam mente alacri, nec aerumnis nec annis ingravescentibus fatiscente excubabat Pacca. Plurimum enim valuit auctoritate; plurimum eius sapientiae tribuebant romani pontifices Pius VII, Leo XII, Pius VIII, Gregorius XVI; qui amplissimos illi certatim detulerunt magistratus. Si qua autem perobscura et involuta quaestio enodanda, si operosius negotium transigendum, amice et familiariter Romani Pontifices sententiam rogabant Bartholomaeum, qui rei gerendae vias et explicatus quam tutissimos nitide pandebat: eius vero consilia numquam a recto vel latum unguem deflexisse, omnibus compertum est. Ea autem sapientiae fama apud patres cardinales floruit, ut cum sacra inirentur comitia, non pauci suis in Bartholomaeum Paccam pontificatu maximo augendum suffragiis iverint.

XII. Quum ad extremam aetatem quae octavum et octogesimum inibat annum, virtute et virtutis opinione crevisset, dum domi de conclavi in conclave digreditur,

in femur collapsus est: quo ex morbo quum aegre convalesceret, in febrem incidit, qua sensim crebrescente absumptus est XIII Kalendas maias anno MDCCCXLIV.

Elatus est ad proximam s. Mariae in Porticu aedem, ibique conditus. Adproperantem vitae exitum ea constantia conspicatus est, quae sapientem caduca omnia aeternis posthabentem decuit. Vitae autem rationes puriter casteque exactae, diuque pro re christiana exhausti labores viam illi ad caelitum beatissimorum sedem communierunt.

Oris dignitas, totius corporis habitus, sermo gravis et remissus imaginem tibi veteris sapientiae referebat. Ingenium optimarum artium studiis expolitum, rerumque usu exercitum, turbulentissimis, in quas eius aetas incidit, tempestatibus pulcrius enituit. Nullus in eo socordiae, aut veterno locus; nullus illi dies aut a rebus gerendis, aut a doctrinis excolendis vacuus: si quid a rei publicae administratione intercidisset otii, ad scribendum contulit; huius autem laboris fructus ad omnem posteritatem manavit. Quae ad Rhenum, quae ad Lusitanos legatus, quae in rei publicae magistratu gessit, litteris prodidit: patrui quoque magni Francisci Paccae pontificis Beneventani virtutes historia persequutus est: quibus libris nihil est ad mores hominum, et ad eorum temporum vices cognoscendas utilius. Amplissimum vero ex omnium laborum praemiis sibi praemium repensum iri ducebat, si rei christianae dignitati et incrementis in posterum consuluisset.

Bartholomaeus Pacca antistes Domus Pontificis Maximi ab admissionibus Pii IX P. M. insigne e marmore monumentum Bartholomaeo patruo magno constituit in aede Magnae Dei Matris Mariae in Porticu apud aram principem ad laevam.

RICHARDVS ET VICTOR
GRATIOLII EX DVCIBVS MANLIANAE

Virtute annos anteivit Richardus. Iis enim pueruli mentem animumque ornamentis auxit natura et gratia, ut a summa absolutione quam proxime abesset. Ingenio acer, memoria tenax, laboris in studiis excolendis non fugitans: hinc litteras et arripuit celeriter, et arreptas commode tenuit.

Sed ingenio longe superior virtus. Eo enim in Deum ferebatur studio, eo animi sensu caelestia degustabat, ut nihil supra. Pauperculis stipem largiri, aegros solari, misellos qua posset ope iuvare, lucro apponebat.

Extremo oblanguens morbo et depositus Magnam Dei Parentem Mariam intueri, alloqui, eiusque ad amplexum ruere visus est: Mariam anima fugiente vocabat.

Chrismate sancto in Domini Iesu militiam conscriptus, et caelesti epulo primum refectus choris beatorum additus est albescente die, qui mensem claudit novembrem anno MDCCCLX: decimum Richardus annum inibat.

Richardum Aloisii Patroni veste indutum ad S. Mariae in foro Minervae elatum non lacrymis, sed praedicatione et laudibus populus prosecutus est.

Illum praeiverat paucis ante diebus fraterculus natu minor Victor, eodem absumptus morbo: sextum Victor decurrebat annum. Victorem inter et Richardum summa morum intercedebat similitudo, summus coaluerat amor, minimum aetatis discrimen.

AVETE
RICHARDE . ET . VICTOR
ANIMAE . CANDIDISSIMAE
AVETE
VOS
ALOISIVS . PATRONVS . SALVTARIS
FRAVDVM . NESCIOS
SIBI . CONSORTES . GLORIAE
ADLEGIT

FORTVNATI . AMBO
QVEIS
FRONTEM
CAELESTI . LVCE
NITENTEM
FLORES
NVLLO . DECIDENTES . AEVO
REVINCIVNT

NE . NOS . EXANIMES . NE . MERSOS
FVNERE . FLETE
VIVIMVS . AMBORVM . EST . VNICA . VITA
DEVS

INSCRIPTIONES

QVI HAEC NOSTRA LEGIS, TE NON FVGIAT, IN TITVLIS EDENDIS ME NON ARGVMENTI, SED TEMPORIS, QVO IN HOMINVM MANVS VENERE RATIONEM SERVASSE: EA MENTE, VT SI QVID DEINCEPS E MEIS SCHEDIS EXCIDERIT, IIS APPONI NON INTERTVRBATO ORDINE QVEAT.

I.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI
QVIESCIT
MARIA . CATHARINE . PISTOLESIA
VXSOR . PHILIPPI . CANORII . FOCARDII . EQ.
QVAE . PVDORIS . SERVANTISSIMA
FIDEM . IN . DEVM . CARITATEM . IN . EGENOS
EXEMPLO . DOCVIT
PIA . VIXIT . AN. XXXVII . TANTVM
DECESSIT . VII . KAL. IVN. AN. MDCCCLVI.
VIVAS . CVM . SANCTIS *

* ROMAE IN AEDE SACRA D. N. MARIAE AD PORTAM FLAMINIAM.

II.

A ☧ Ω

QVIETI . ET . MEMORIAE
MARIAE . ALOISIAE . BORBONIAE
FERDINANDI . PARMENSIS . DVCIS . F.
QVAE . A . PRIMA . AD . EXTREMAM . AETATEM
PIETATEM . COLVIT
VTQVE . VNI . DEO . VACARET
INTER . VIRGINES . A . S. VRSVLA
VOTA . RITE . CONCEPIT
AD . CAELESTEM . SPONSVM . ABIIT
X. KALENDAS . MARTIAS . AN. MDCCCXXXI.
CVM . AGERET . ANNVM . LXVII.
AVE . ALOISIA . ET . VIVE . IN . CHRISTO
SODALES . VIRGINES
MEMORES . EXIMIAE . VIRTVTIS
POSVERVNT

ROMAE IN COLLEGIO S. VRSVLAE.

III.

A ☧ Ω

HEIC . SITA . EST
HORTENSIA . GIAMBERTIA
CASTA . FRVGI . NESCIA . VVLGI
QVAE . FIDA . VIRO
VIXIT . AN. XLVI. MENS . X. DIES . VII.
DIEM . SVVM . OBIIT . III. KAL. APR. AN. MDCCCLVIII.
ALBERTVS . CARACCIOLIVS
DE . EA . NIHIL . QVESTVS . NISI . TAM . CITO . AMISSAM
CONIVX . MOESTISSIMVS
CVM . LACRIMIS
B. M. F. *

* NEAPOLI.

IV.

A ☧ Ω

QVIETI . ET . NOMINI
DOROTHEAE . IABLONOWSKAE
FEMINAE . PRINCIPIS
QVAE . DYNASTA . CZARTORISKO . VIRO . ORBATA
OPES . ET . DELICIAS
SACRIS . PENETRALIBVS . POSTHABVIT
ET . INTER . VIRGINES . A . S. VRSVLA
ANNOS . XX . PIE . EXEGIT
DIEM . SVPREMVM . LAETA . OBIVIT
XVI. KAL. OCTOB. AN. MDCCCXLIV. AETAT. LXXXIV.
COLLEGIVM . VIRGINVM
BENEMERENTI
POSVIT *

* ROMAE IN COLLEGIO S. VRSVLAE.

V.

A ☧ Ω

HEIC . COMPOSITVM . EST . CORPVS
IACOBI . RASPIS
MAGISTRI . CAEMENTARIORVM
PII . ET . SOLLERTIS
DEC. ANNO . MDCCCLVII . VI . KAL. IAN.
ANNOS . NATVS . LXIV.
FILII . CVM . LACRIMIS
POSVERE *

* ROMAE

VI.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
ALOISIA . TARTAGLIA . RVGGIA
FEMINA . CLARISSIMA
DOMO . ROMA
VXSOR . CAIETANI . BERTOLELLI . EQ.
QVAE . STVDIVM . OMNE
AD . LIBEROS . INSTITVENDOS . CONTVLIT
PIA . VIXIT . ANNOS . XXXVI . TANTVM
DIEM . SVVM . OBIIT . XV . KAL. SEXSTIL. AN. MDCCCLVIII.
MARITVS
ET . ALBERTVS . EDVARDVS . ALPHONSVS . HVGO . ANNA
FILII
ET . FRANCISCVS . GIANNVZZI . AVVNCVLVS
PRAESVL . VRBANVS
BENEMERENTI . POSVERE
AVE . ALOISIA . ET . VIVE . IN . PACE *

* IN SACRA AEDE LAVRETANA

VII.

MARIAE . BEATRICI . DORIA . PANFILI
FEMINAE . PRINCIPI
CVIVS
PIETAS . IN . DEVM
MVNIFICENTIA . IN . PAVPERES
OMNIBVS . EXEMPLO . FVIT
SOLLEMNIA . FVNERIS . INSTAVRAT
SOCIETAS
ROMANIS . INFANTIUM . ASYLIS . PRAESES
VOS . QVIRITES
BENEMERENTI
PACEM . SVPERVM
ADPRECAMINI *

* ROMAE IN FRONTE AEDIS SACRAE D. N. IESV AN. MDCCCLVIII.

VIII.

ANNO . MDCCCLVIII.
SEDENTE . PIO . IX . PONT. MAX.
AVSPICE . ET . STATORE . FAVSTITATIS . PVBLICAE
REGIVM . CONCLAVE
FRIDERICI . FERETRANI . DVCIS
SQVALORE . DETERSO . CVLTVQVE . ADDITO
RESTITVTVM
COLLATIS . AERARII . PVBLICI
ET . PROVINCIAE . SVMPTIBVS
PASCHALE . BADIA . PRAES. PROV. *

* VRBINI IN AVLA CONSILII PVBLICI.

IX.

HEIC . COMPOSITI . SVNT
GIOVANNELLII . FRATRES
HORTENSIVS . ANNOR. X. GASPAR . ANNOR. VII.
QVOS . LIVENTES . PVSTVLAE . PEREMERVNT
DECESSIT . ILLE . IDIBVS . SEXTILIBUS . AN. MDCCCLV.
HIC . FRATREM . POSTRIDIE . SVBSECVTVS . EST
PETRVS . COM. ET . IOSEPHA
PARENTES
MOERORIS . MONVMENTVM
P.

X.

ALOISILLVS . HEIC . DORMIT
PVERVLVS . ANNOR . IV. MENS. III. DIER. XV.
FORMOSISSIMVS . FESTIVISSIMVS
DELICIAE . PARENTVM
ANTONIVS . PETRACASSANIVS . DYNASTA
ET . THERESIA . MARVLLIA . F. C.
POSVERE
MARGARITO . SVO
QVEM . DIRA . TABES . II. MENS. PEREDIT
XI. KAL. APRIL. AN. MDCCCLI.
VALE . ALOISILLE
ET . VIVE . IN . CHRISTO

XI.

HEIC . DORMIT
IN . PACE . CHRISTI
IRENE
AN. III. MENS. X. D. V.
PETRI . CIOTTI . F.
AVE
ANIMA . INNOCENS *

* ROMAE.

XII.

CAROLVS . HEIC . DORMIT
ANNOR. IV.
AMOR . ET . DELICIVM . PARENTVM
VRBANVS . VAGANZA . COM. ET . LVDOVICA . SPINELLI
DEIECTI . VNICA . SPE . DOMVS
MOESTISSIMI . POSVERE
FILIOLO . INNOCENTISSIMO
ABREPTO . V. KAL. MAIAS . AN. MDCCCLVI.
AVE . CAROLE . SVAVISSIME
ET . VIVE . CUM . SANCTIS *

* NEAPOLI.

XIII.

ANGELVS . BERTACCINI
LIMEN . VITAE . INII
KAL. APRIL. AN. MDCCCLVI.
SACRO . LVSTRATVS . FONTE
AVOLAVI . AD . CAELESTES
NIHIL . ME . LAETIVS
BEATIVSQVE *

* ROMAE.

XIV.

AN. MDCCCLIV. KALEND. QVINTIL.
CHORO . CAELESTIVM . ADDITI
VITAM . INIVIMVS . IN . CHRISTO
OCTAVIVS . AN. IV. HENRICVS . AN. II.
ISABELLA . MENS. VI.
ASIANA . LVE
EADEM . DIE . ABREPTI
SCIPIO . DYNASTA . PATERNI . ET . ROSARIA . PIGNATELLI . C. F.
PARENTES
POSVERE
AVETE . ANIMVLAE . CANDIDISSIMAE
ET . VIVITE . MEMORES . NOSTRVM *

* NEAPOLI.

XV.

A ☧ Ω

AN. MDCCCLIX. POSTRID. KAL. IAN.
IVLIA . HOLL
INNOCVA . PVELLVLA . ANNOR. X.
CAELITVM . NVMERVM . AVXIT
AVE . ANIMVLA . CANDIDISSIMA
ET . VIVE . CVM . ANGELIS *

* ROMAE.

XVI.

H. S. E.
ALEXANDER . GRATIA . ANGELI . F.
ANNOR. III.
AVE . ANIMVLA . INNOCENS *

* ROMAE.

XVII.

AN. MDCCCLV. KAL. MAIIS
FRANCISCA . MARTINEZ
NESCIA . CVLPAE
AD . SVPEROS . AVOLAVI
MENSE . VIII. VITAE . EXORIENTIS
VIVO . CVM . SANCTIS *

* ROMAE.

XVIII.

TIBI . TVAS . HABETO . LACRVMAS
EGO . ANNIBAL . SVARDO
AN. III. MENS. VI. DIER. X.
VIVO . IN . CHRISTO *

* MEDIOLANI.

XIX.

A ☧ Ω

MARIA . VICTORIA . HEIC . SVM
ME . FLORENTIAE . GENVIT
FRIDERMANNVS . HENRICVS . DYNASTA . DE . SCHELLERSHEIM
INEVNTE . ADOLESCENTIA
SAECVLVM . POSTHABVI . NVPTIIS . CHRISTI
EVMQVE . DILEXI . VNICE
AD . EIVS . AMPLEXVS . AVOLAVI
IDIB. MART. AN. MDCCCLIV.
AVETE . SOCIAE . VIRGINES
QVAE . ME . ANTISTITAM . COLVISTIS . VT . PARENTEM
VOS . MANEO . CAELESTEM . APVD . SPONSVM
COLLEGIVM . VIRGINVM
BENEMERENTI . POSVIT *

* TVSCVLI.

XX.

A ☧ Ω

IVLIA . RVIZ
DIEM . MEVM . OBII
ROMAE . XIV. KAL. FEBR. AN. MDCCCLVII.
VOS . FILII . SVAVISSIMI
MATRI
QVAE . VOS . DILEXI . VNICE
PACEM . SVPERVM . ADPRECAMINI *

* OTRICVLI IN SACRARIO DOMESTICO.

XXI.

ANNO . MDCCCLVIII.
MVNIFICENTIA
V. C. IOANNIS . VIMERCATI . COM.
CHORI . SPATIA . LAXATA
NOVISQVE . OPERIBVS . EXCVLTA
COLLEGIVM . VIRGINVM . A . IESV . INFANTE
GRATI . ANIMI . TESTEM
TITVLVM . POSVIT *

* ROMAE IN AEDE SACRA.

XXII.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
NICOLAVS . MATTEI . CAVENSIS
SACERDOS . BENEFICIARIVS . BASILICAE . LIBERIANAE
DIEM . SVVM . OBIVIT
III. NON. IAN. AN. MDCCCLIX . AET. LXXII . DI. XXVIII.
VIVAS . CVM . DEO *

* ROMAE IN BASILICA LIBERIANA.

XXIII.

Α ☧ Ω

HEIC . IN SEDE . HONORIS . SVI
CONDITVS . EST
HVGO . PETRVS . SPINOLA . CARD.
EX . AMPLISSIMO . ORDINE . IANVENSIVM
QVEM . VINDOBONENSI . LEGATIONE
ET . BONONIENSIS . PROVINCIAE . PRAEFECTVRA
PRO . DIGNITATE . FVNCTVM
GREGORIVS . XVI . PIVS IX . PONTIFICES . MAXIMI
SVMMO . BENEFICIIS . ELARGIENDIS . MAGISTERIO
AVXERVNT
VIXIT . ANNOS . LXVII . MENSES . VII . DIES . XXIV.
DE . RE . CHRISTIANA
EXIMIE . PROMERITVS
DECESSIT . XII . KALENDAS . FEBRVARIAS . ANNI . MDCCCLVIII.
FRANCISCVS . PAVLVS . SPINOLA . MARCHIO
HERES . EX . ASSE
POSVIT
PATRVO . SVAVISSIMO
QVEM . PARENTIS . LOCO . COLVIT *

* ROMAE AD S. MARTINI.

XXIV.

FRANCISCVS . PAVLVS . SPINOLA
SIBI . ET . SVIS

* ROMAE AD S. MARTINI IN SEPVLCRO GENTIS SPINOLAE.

XXV.

A ☧ Ω

HEIC . CONQVIESCIT . IN . CHRISTO
THOMAS . FANIVS . CIOTTIVS . COMES
Θ. XIV. KAL. DEC. AN. MDCCCLIV. AET. LXV.
CVM. HELEONORA . E . PRINCIP. SPADA . CONIVGE
Θ. IV . IDVS . SEPTEMB. AN. CHR. MDCCCL . AET. LX.
ET . CATHERINE . FILIA . VIRGINE
Θ. IX . KAL. DEC. AN. MDCCCLV . AET. XLIII.
VINCENTIVS
POSVIT
PARENTIBVS . ET . SORORI
ET . ELMIRAE . E . MARCH. MISCIATELLIS . VXORI
QVAE . VIXIT . AN. XXXIV . TANTVM
DECESSIT . IV . KAL. MART. AN. CH. MDCCCLVII.
VIVITE . IN . PACE . CHRISTI *

* VITERBII.

XXVI.

HEIC . VTI . OPTAVERAT
CVM . SVIS . COMPOSITA . EST . IN . PACE
CHRISTINA . CAIETANI . FERRARII . COMITIS . F.
QVAE . NVPTVI . TRADITA . DOMINICO . LEGNIO
VIRTVTES . A . TENERIS . IN . SACRO . GYNAECEO . HAVSTAS
AD . CONIVGIVM . ATTVLIT
PROLEM . OMNI . CVRA . AD . RELIGIONEM . INSTITVIT
INOPIA . LABORANTIBVS . ADFVIT
VITAE . INTEGRITATE . MODESTIA . CONSTANTIA . IN . ADVERSIS
CIVITATI . PRAELVXIT
MORBO . IN . MENSEM . CONFLICTATA
CHRISTI . DEI . CORPORE . SAEPIVS . REFECTA
DECESSIT . VIII. IDVS . OCTOBRES . ANNO . MDCCCXXXIII.
ANNOS . NATA . LXII. M. V. D. XIX.
ISABELLA . SPINA
SVPERSTES . VNICA . GENTIS . LEGNIAE
POSVIT
MATRI . IN . EXEMPLVM . SAPIENTI *

* ARIMINI IN AEDE SACRA.

XXVII.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
IOANNES . BAPTISTA . CAROLI . F. SPINA . COMES
EX . ORDINE . PATRICIO . ARIMINENSIVM
EQVES . TORQVATVS . S. GREGORII . MAGNI
POESIM . HVMANIORESQVE . LITTERAS . CVM . IVRIS
SCIENTIA . CONIVNXIT
EASQVE . AD . VITAE . DIGNITATEM . ET . PATRIAE . DECVS
CONTVLIT
IN . MVNICIPII . PRAEFECTVRA
IN . CENSIBVS . PROVINCIAE . ADMINISTRANDIS
IN . CONSILIO . VECTIGALIBVS . PROVINCIARVM . TEMPERANDIS
IN . REI . PVBLICAE . PERTVRBATIONE
SAPIENTER . SE . GESSIT
RELIGIONI . PARVIT
IN . EAQVE . FILIOS . EXEMPLO . ET . PRAECEPTIS . INSTITVIT
DECESSIT . POSTRID. KAL. SEXTIL. AN. MDCCCLXIV.
ANNOS . NATVS . LXXI. M. X. D. III.
ISABELLA . LEGNIA . VXSOR
QVACVM . CONIVNCTISSIME . VIXIT
CVM . FILIIS
CAROLO . DOMINICO . PETRO . ELISABETHA . CHRISTINA
P. *

* ARIMINI IN AEDE SACRA.

XXVIII.

Ω ☧ Α

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
PHILIPPVS . FRANCISCI . F. BATTAGLINIVS . COMES
EQVES . GREGORIANVS . ET . PIANVS
INGENIO . SAPIENTIA . LITTERIS
ANTIQVA . MORVM . GRAVITATE
LABORIBVS . PRO . RE . PVBLICA . SVSCEPTIS
OPTIMI . CIVIS . EXEMPLAR
RELIGIONEM . SIBI . A . MAIORIBVS . HEREDITATE . TRADITAM
INTEGERRIME . COLVIT
EIVSQVE . TVENDAE . STVDIO . OMNIA . POSTHABVIT
IN . PATRIAE . PRAEFECTVRA
IN . PROVINCIAE . ADMINISTRANDAE . CONSILIO
IN . CENSVVM . RATIONIBVS . STATVENDIS
AEQVVM . SEMPER . ET . RECTVM . SPECTAVIT
FIDEM . ERGA . PONTIFICES . MAXIMOS
IN . SECVNDIS . AEQVE . AC . ADVERSIS . VICIBVS
SERVAVIT . IMMOTAM
DECESSIT . IDIBVS . DECEMBRIBVS . A. MDCCCL.
ANNOS . NATVS . LXIII. M. III. D. VIII.
CAIETANVS . ET . IVLIVS . CAESAR
PATRI . BENEMERENTI
P. *

* ARIMINI IN AEDE SACRA SERVORVM D. N. MARIAE.

XXIX.

MVNIFICENTIA
D. N. PII . IX . PONT. MAX.
AEDES . PRESBYTERI . CVRIONIS . LAXATAE
NOVISQVE . CONCLAVIBVS . AVCTAE
SACRARIVM . AB . INCHOATO . EXTRVCTVM . DITATVM
ACCESSVS . AD . SODALITIVM . SACRAMENTI . AVGVSTI
COMMODIOR . EXPLICATVS
AN. MDCCCLVIII. *

* IN CASTRO GANDVLFI.

XXX.

MOESTI . SVCCEDITE
QVIRITES
HODIE . PARENTAMVS
MICHAELI . LEWICHIO
PATRI . CARDINALI
ARCHIEPISCOPO . LEOPOLIENSIVM
QVEM
PIETAS . SAPIENTIA
ET . GRAECOS . CATHOLICAE . FIDEI . ADIVNGENDI
STVDIVM
ROMANIS . PONTIFICIBVS
PROBARVNT
VOS . PACEM . APVD . DEVM
ANIMAE . MAGNAE
ADPRECAMINI *

* ROMAE AD S. CLAVDII IN FRONTE AEDIS SACRAE AN. MDCCCLVIII.

XXXI.

HEIC
SANCTVS . LEONARDVS . A . PORTV . MAVRITIO
IN . SS. APOSTOLORVM . SODALITIVM . ADSCITVS
SACRIS . PER . ITALIAM . EXCVRSIONIBVS
TIROCINIVM . POSVIT *

* IN AEDE CARAVITANA.

XXXII.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . ADQVIESCIT
MAGDALENE . LVPOLIA
VXSOR . LEONARDI . BOFFII
QVAM . MORVM . INTEGRITAS . PIETAS . IN . DEVM
IN . LIBERIS . INSTITVENDIS . CVRA
OMNIBVS · COMMENDARVNT
NECEM . VIRO . A . PRAEDONIBVS . INFLICTAM
FORTITER . PERPESSA
DECESSIT . V. IDVS . FEBRVARIAS . AN. MDCCCLVIII.
ANNOS . NATA . LVII. MENS. IV.
FILII . CONLACRIMANTES
POSVERE
MATRI . BENEMERENTISSIMAE *

* SETIAE AD PALVDES POMPTINAS.

IN IOANNIS CAROLI VILLANI PARENTALIBVS NOTAE FVNEBRES.

XXXIII.

1.

MOESTI . SVCCEDITE . QVIRITES
HODIE
AVDITORES . IVRI . EDISCENDO
APVD . LYCEVM . MAGNVM . ROMANVM
INSTAVRANT
IVSTA . FVNEBRIA
IOANNI . CAROLO . VILLANI
ANTECESSORI . PVBLICO
VOS
DOCTRINAE . EIVS . ET . LABORVM . MEMORES
AEVI . SEMPITERNI . BEATITATEM
BENEMERENTI
ADPRECAMINI *

* AD S. MARTINAE IN FRONTE AEDIS.

XXXIV.

2.

IOANNES . CAROLVS . VILLANI
DOMO . CAESENAS
AB . ADOLESCENTIA . CIVIS . ROMANVS
VITAE . PVRITER . ACTAE
SPATIVM . ABSOLVIT
PRIDIE . NONAS . IANVARIAS . AN . MDCCCLIX.
ANNOS . NATVS . LX . MENS. II . DIES . XXIX.

XXXV.

3.

INGENIO . STVDIISQVE . FLORENS .
ANNVM . AGENS . SEPTIMVM . ET . VICESIMVM
MAGISTERIVM . IVRIS . CIVILIS . INIIT
SOLIDOSQVE . XXXIV . ANNOS
PENITIORA . LEGVM . ARCANA
IN . MAGNO . ATHENAEO . ROMANO
EVOLVIT
PRAESTANTIVM . DOCTORVM . LAVDES
SVPERGRESSVS

XXXVI.

1.

ROMANAE . RETINENS . DIGNITATIS
LATINO . VSVS . ELOQVIO
DISCEPTATIONES . IVRIS
PARI . VBERTATE . ET . ELEGANTIA
PERSEQVVTVS . EST

XXXVII.

5.

LEGVM . EXIMIE . PRVDENS
OMNIBVS . CONSVLTA . PETENTIBVS
ADFVIT
SI . IVRE . AGENDVM
SI . DE . IVRE . DECEDENDVM
NITIDE . EXPEDIENS

XXXVIII.

6.

PECVNIAE . ABSTINENS
EGENTIVM . CAVSAS . NEGLIGENS . LVCRI
EGIT
IISQVE . NE . IVRE . CADERENT
OMNI . OFFICIO
PRAESTO . FVIT

XXXIX.

7.

IN . PRINCIPIS . CONSILIVM . ADSCITVS
QVAE . E . RE . PVBLICA . FORENT
CANDIDE . EDIXIT
AB . EIVS . SENTENTIIS
NEC . SAPIENTIA . ABFVIT . NEC . AEQVITAS

XL.

8.

PIETATEM . IN . DEVM
COLVIT
RELIGIONIS . MVNIA . CASTE . OBIVIT
NEC . SPE . NEC . METV
NEC . VVLGI . RVMORIBVS
A . VIRTVTE . DIMOTVS

XLI.

9.

DOCTRINAE . ET . INGENII . NOMINI
MODESTIAM . ANTETVLIT
GRAVITATEM . FACILITATE . MORVM
TEMPERAVIT
HONORVM . AMBITVM
MVNERI . SVO . NAVITER . OBEVNDO
POSTHABVIT

XLII.

10.

RECTI . IVSTIQVE . TENAX
NIHIL . TEMPORIS . CAVSSA . EGIT
SECVNDIS . AEQVE . AC . DVBIIS . VICIBVS
IN . FIDE . ERGA . ROMANOS . PONTIFICES
PERSTITIT . CONSTANS

XLIII.

11.

NON . INDILIGENS . PATERFAMILIAS
REM . FAMILIAREM . AVXIT
CVM . HAGNETE . MARTINETTI . CONIVGE
VIXIT . SINE . QVERELA
SVSCEPTOS . EX . EA . LIBEROS
AD OMNEM . HONESTATEM
EDVXIT

XLIV.

12.

DIVTVRNO . V . MENSIVM . ELANGVENS . MORBO
EOQVE . IN . DIES . CRVDESCENTE
MORTEM . GRADATIM . ADVENTANTEM
AEQVO . VVLTV
CONSPICATVS . EST
AETERNA . SIBI . A . DEO
ADPRECATVS

XLV.

TE . IN PACE . CHRISTVS

IOANNI . CAROLO . VILLANI
PATRICIA . NOBILITATE . CAESENATIVM
ANTECESSORI . IN . ATHENAEO . ROMANO
ADLECTO . INTER . IVRIS . PERITOS . SACRI . CONSISTORII
ET . IN . CONSILIVM . REI . PVBLICAE . GERENDAE
DECESS. PRID. NON. IAN. AN. CHR. MDCCCLIX.
ANNOS . NATVS . LX.
HEIC . APPOSITVS . AD . HAGNETEM . MARTINETTI . VXSOREM
ANTE . ARAM . D. N. IESV . NASCENTIS
IN . SEPVLCRO . GENTIS . SVAE
ALEXANDER . ALOISIVS . MARIA
CVM . LACRIMIS . POSVERE
PARENTI . PIENTISSIMO
AVE . ET . VIVE . IN . CHRISTO *

* ROMAE IN AEDE SACRA D. N. IESV.

XLVI.

PIO . IX . PONT . MAX .
AVCTORI . ET . STATORI . FAVSTITATIS . PVBLICAE
QVI . SAPIENTISSIMIS . LEGIBVS . LATIS
CONSVLVIT
SVRDIS . MVTIS
RELIGIONE . ET . ARTIBVS . PROBE . INSTITVENDIS
EOSQVE . E . SINGVLIS . PROVINCIIS
HAS . IN . AEDES
MVNIFICENTIA . EIVS . LAXATAS . EXCVLTAS
COLLEGIT
VTQVE . RATVM . FORET . BENEFICIVM
CENSVS . CERTOS . ADTRIBVIT
NICOLAVS . PARACCIANI . CLARELLI . CARD.
PRAESES
EFFIGIEM . GRATI . ANIMI . TESTEM
DEDICAVIT
PARENTI . OPTIMO . PROVIDENTISSIMO
AN. MDCCCLVIII. *

* ROMAE AD THERMAS DIOCLETIANI.

XLVII.

HIERONYMO . RESTAE . EQVITI
DOMO . TALEACOTIO
PRAEFECTO . REI . BELLICAE . IN . VESTINIS
RELIGIONE . IN . DEVM . FIDE . IN . REGEM
DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS . PERSPECTA
ANTONIVS . POSVIT
FRATRI . OPTIMO . DESIDERATISSIMO
QVI . VIXIT . AN. LXXII. MENS. IV. DIES. XXII.
DECESSIT . IV. KALENDAS . SEXTILES . AN. MDCCCLIII.
VIVAS . IN . CHRISTO *

* AQVILAE IN VESTINIS.

XLVIII.

HEIC . SITA . EST
ADELAIS . PIAZZOLIA
VXSOR . ANTONII . GIORDANII . I. C.
PVDORIS . ET . FIDEI . SERVATISSIMA
DEC. IDIB. FEBR. AN. MDCCCLVIII. AET. XXXVI.
VALE . ET . VIVE . IN . DEO
HVC . TE . SEQVETVR . CONIVX *

* ROMAE IN AEDE S. MARIAE IN FORO MINERVAE.

XLIX.

A ☧ Ω

HEIC . EXSVVIAE . ADQVIESCVNT
HADRIANI . FIESCHI
EX . AMPLISSIMO . ORDINE . IANVENSI
QVEM . GREGORIVS . XVI.
EX . SACRI . PALATII . PRAEFECTVRA
IN . PATRVM . CARDINALIVM . COLLEGIVM . ADLEGIT
PIVS . IX . VRBINATIBVS . ET . PISAVRENSIBVS
PRAETOREM . DEDIT
ET . SVMMO . MAGISTERIO . ORDINIS . HIEROSOLYMARII
AVXIT
DECESS. VIII . ID. FEBR. AN. MDCCCLVIII . AET. LXIX.
TE . IN . PACE . CHRISTVS *

* ROMAE IN AEDE S. MARIAE AD MARTYRES.

L.

IOANNI . SEBASTIANI

QVI . SECVLO . REFERENTE . DIEM . FESTVM

MATRIS . GRATIAE . CAELESTIS

MODOS . MVSICOS . FECIT *

* IN NOMISMATE.

LI.

IOSEPHO . MILELOTTI

QVI . SECVLO . REFERENTE . DIEM . FESTVM

MATRIS . GRATIAE . CAELESTIS

SYMPHONIACIS . PRAEFVIT *

* IN NOMISMATE.

LII.

ALOISIO . RVFINI
DOMO . ANAGNIA
SODALI . ET . CONTVBERNALI . SVAVISSIMO
QVEM . AB . ADOLESCENTIA
INTEGRITAS . VITAE
ET . BONARVM . ARTIVM . STVDIA
COMMENDANT
REI . DIVINAE . PRIMVM . OPERANTI
MARTIVS . MARSILI
NOVVM . CHRISTIANI . SACERDOTII . DECVS
GRATVLATVR

LIII.

PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
ANNO . M . DCCC. LVIII.
TVRRIM . ASTRIS . SPECVLANDIS
LAXAVIT
INSTRVMENTA
AD. VIM . TELLVRIS . MAGNETICAM . EXPLORANDAM
ATTRIBVIT
PER . IOSEPHVM . MILESIVM . PIRONIVM . FERRETTIVM . CARD.
PRAEFECTVM . COMMERCIO . ET . OPERIBVS . PVBLICIS *

* IN COLLEGIO ROMANO.

LIV.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLIX.
MVNIFICENTIA
IOANNIS . VIMERCATI . COM.
GYNAECEVM . NOSTRVM
CONCLAVIBVS . AVCTVM . EST
SVPELLECTILI . INSTRVCTVM
VIRGINES . A . S. DOROTHEA
ΜΝΗΜΗΣ . ΧΑΡΙΝ *

* ROMAE IN COLLEGIO S. DOROTHEAE IN IANICVLI CLIVO.

LV.

IOANNI . HEROLI . MARCHIONI
INGENIO . ERVDITIONE
SCRIBENDI . VENVSTATE . ET . COPIA
DE . RE . LITTERARIA
DE . NARNIENSIVM . HISTORIA
EXIMIE . PROMERITO
HOC . MENTIS . BENEVOLAE . EXILE . PIGNVS
ANTONIVS . ANGELINI *

* INSCRIPTA LIBELLO.

LVI.

PIVS . IX . PONT. MAX.
SEMINARIO . PIO
SAPIENTISSIMIS . A . SE . LEGIBVS
IN . ECCLESIAE . PRAESIDIVM
CONSTITVTO
LARGISQVE . CENSIBVS . AVCTO
SVBVRBANVM . HOC
NE . LOCVS . AD . ANIMI . REMISSIONEM . DEESSET
ADTRIBVIT
AEDESQVE . NOVIS . OPERIBVS
LAXAVIT . EXCOLVIT
AN. MDCCCLVIII *

* ROMAE IN SVBVRBANO AD VIAM PORTVENSEM.

LVII.

CAMILLO . DE . PETRO
ROMANO
QVEM . LEGATIONE . LVSITANA
XII . ANNOS . PRO . DIGNITATE . FVNCTVM
PATRIA
GESTIENS . RECIPIT
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
IN . PATRVM . CARDINALIVM . SENATVM
ADSCRIBIT . XIII . KAL. MARTIAS . AN. MDCCCLIX
COLLEGIVM . GHISLERIVM
TANTO . SIBI . PLAVDENS . ALVMNO
HONOREM . VIRTVTE . PARTVM
GRATVLATVR

LVIII.

CHRISTE
REX . ET . SOSPITATOR . HOMINVM
PRECE . PIACVLARI . ET . SACRIS
RITE . PROPITIATVS
AEVI . SEMPITERNI . BEATITATEM
IMPERTIRE
STEPHANIAE . REGINAE
QVAE . OSTENSA . PAVCIS . MENSIBVS . LVSITANIAE
SPEM . LAETISSIMAM
ACERBO . EXITV
PRAECIDIT *

* ROMAE AD S. ANTONII IN MOLE FVNEBRI.

Stephania Antonii Dynastae Sigmaringae et Iosephae Badensis filia, egregia forma, in exemplum pia, bonis artibus exculta III Kalendas maias anni MDCCCLVIII nupsit Petro V regi Lusitaniae; quocum concordissime quatuor et decem menses exegit: XV Kalendas sextiles an. MDCCCLIX praecipiti vi morbi abrepta est ingenti luctu coniugis totiusque regni desiderio et lacrimis, annum agens alterum a vicesimo.

LIX.

PIO . IX . PONTIFICI . MAXIMO
PARENTI . OPTIMO . PROVIDENTISSIMO
CVIVS . MVNIFICENTIA
CENSVS . AVCTI . SVBVRBANVM . COEMPTVM
SEMINARIO . PRAENESTINO
ALOISIVS . AMAT . CARD. EP. PRAEN.
AN. MDCCCLIX *

* SVB SIGNO, IN AVLA SVBVRBANI SEMINARII PRAENESTINI.

LX.

ALOISIO . AMAT
CARD. EPISCOPO . N.
CVIVS . NVTV . AVSPICIOQVE
STVDIA . FLORENT . INGENIA . EXCOLVNTVR
LEGVM . CVSTODIA . VIGET
ANIMI . DEFATIGATIONE . RELEVANTVR
SEMINARIVM
AN. MDCCCLIX *

* SVB SIGNO, IN AVLA SVBVRBANI SEMINARII PRAENESTINI.

LXI.

A ☧ Ω

FORTVNATO . DOMINICI . F. FORTINI
DOCTRINA
AETATEM . SVPERGRESSO
MATER . ET . FRATRES
CVM . LACRVMIS
POSVERE
DECESSIT. XIV. KAL. IVL. AN. MDCCCLIX
ANNOS . NATVS . XXIII. *

* IN OPPIDO S. MARIAE APVD CAPVAM.

LXII.

HEIC . SITVS . EST
GEORGIVS . SPERANDIO
AN. III. MENS. V. DIER. VIII.
HELENA . VNO . VIDVITATIS . SOLATIO . ORBATA
CVM . LACRIMIS
P.
AVE . AMOR . MATRIS . TVAE

LXIII.

VIRO . PRINCIPI
PROSPERO . COLVMNAE . A . SCIARRA
DYNASTAE . RVBIANENSIVM
SAPIENTIA . CONSILIO . RELIGIONE
MVNIFICENTIA
DOMI . FORISQVE
CLARO
TITVLOS
IN . SVPREMIS . OFFICIIS
FERDINANDO . REGI
EXSOLVTIS . ROMAE
AVCTOR
MENTIS . BENEVOLENTISSIMAE
ARGVMENTVM *

* TITVLVS INSCRIPTIS LIBELLO.

LXIV.

1.

SVCCEDITE
EX . OMNI . ORDINE
QVIRITES
HODIE
SVPREMIS . OFFICIIS
PATRIAE . CAELESTIS . BEATITATEM
ADPRECAMVR
FERDINANDO . II.
REGI . NEAPOLIS . ET . SICILIAE *

* IN FRONTE AEDIS SACRAE.

LXV.

2.

DEVS . OPTIME . MAXIME
VICEM . GRATAM
REPENDE
REGI . PIENTISSIMO
QVI . PIVM . IX
ORBIS . CATHOLICI . RECTOREM
HOSPITIO . EXCEPIT
COLVIT
SINGVLARI . OBSEQVIO . PROSEQVVTVS

LXVI.

3.

RELIGIONE
SIBI . DEMERVIT
DEVM . ET . HOMINES

LXVII.

4.

TE . REGE
RES . CHRISTIANA . ET . PVBLICA
FLORVIT

LXVIII.

5.

TE . DVCE
BELLI . ARTES
PACEM
ET . PACIS . STVDIA
ADSERVERVNT

LXIX.

6.

NOSTRIS . PRECIBVS
EXORATVS . DEVS
TE . AD . REGIAM . CAELI
ADVOCET

LXX.

7.

AVE . VALE
ET . VIVE . IN . CHRISTO
ANIMA . MAGNA
TVVM . NOMEN
RECOLET
SERA . POSTERITAS

IVSTA . FVNEBRIA . IN . BASILICA . LAVRENTIANA
AD . THEATRVM . POMPEI

LXXI.

1.

FERDINANDO . II.

REGI . NEAPOLIS . ET . SICILIAE

PARENTALIA *

* IN FRONTE AEDIS SACRAE.

LXXII.

2.

FERDINANDVS . II.
FRANCISCO . I . ET . ISABELLA . HISPANICA . NATVS
PRIDIE . IDVS . IANVARIAS . ANNI . MDCCCX.
ADOLESCENTIA . OPTIMIS . DISCIPLINIS . ET . INSTITVTORIBVS
ACTA . REGNVM . INIT. VI . IDVS . NOVEMBRES . AN. MDCCCXXX.
CONNVBIO . IVNCTVS . MARIAE . CHRISTINAE . SABAVDAE
SVSCEPTVM . EX . EA . FILIVM . AD . REGNI . CVRAS . EFFINGIT
NOVIS . NVPTIIS . MARIAM . THERESIAM . AVSTRIADEM . DVCIT
FAVSTITATI . POPVLORVM . ADLABORANS . QVVM . FRANCISCVM
REGNI . HEREDEM . CONIVGIO . SOCIARET . MORBO . IV . MENSIVM
ABSVMPTVS . EST . XI. KALENDAS . IVNIAS . ANNI . MDCCCLIX.
REGNVM . GESSIT . AN. XXVIII.
PRVDENTIA . MIRA . NVLLO . FASTV

LXXIII.

4.

PIVM . IX . PONTIFICEM . MAXIMVM
CAIETAE . EXCIPIT
PONTIFICIAE . DOMVI
REGALI . MVNIFICENTIA . CONSVLIT
IN . HONORIS . SVI . SEDEM
COLLATIS . CVM . EVROPAE . REGIBVS
CONSILIIS . ET . OPIBVS
REDVCIT

LXXIV.

1.

FAVSTITATI . PVBLICAE . CONSVLENS
VIAS . CONSVLARES
ANFRACTIBVS . EXPLICATIS . LAXAT . STERNIT
PONTIBVS . IVNGIT
DEVIOS . FLVMINVM . CVRSVS
DESCRIPTIS . ALVEIS . COERCET
PRIMVS . IN . ITALIA
PETORRITIS . IGNEO . ACTIS . VAPORE
ITINERA . CORRIPIT

LXXV.

5.

COMMEATVS . MERCIBVS . EVEHENDIS
TERRA . MARIQVE
EXPLICATI
OPVS . TEXTILE
RECENTIORIBVS . INVENTIS . PERFECTVM
OFFICINAE
FERRO . MOLLIENDO . DVCENDO . FINGENDO
CONSTITVTAE
FERDINANDI
DE . RE . PVBLICA . STVDIVM
AETATI . NOSTRAE . ET . POSTERIS
PRODVNT

LXXVI.

6.

AVCTOR . STVDIORVM . OPTIMORVM
HONORE . ET . PRAEMIIS
ALIT . INGENIA . FOVET . ARTES
TVRRIM . ASTRIS . SPECVLANDIS . LAXAT
EXQVISITIORIBVS . ORNAT . INSTRVMENTIS
MVSEVM
CIMELIIS . TABVLIS . AENEIS . ET . MARMOREIS
SIGNIS . VASIS . ANAGLYPTIS . NOMISMATIBVS . DITAT
MONVMENTA . ANTIQVITATIS
E . TERRAE . VISCERIBVS . IN . APRICVM . EDVCTA
ERVDITIONI . PVBLICAE
PATERE . IVBET

LXXVII.

7.

POPVLOS . PATERNE . COMPLEXVS
OMNI . OPE . IVVAT
ASIANA . LVE . AFFLATOS
AQVARVM . EXVNDATIONE
MOTIBVS . TERRAE . CARITATE . ANNONAE
AD . EXTREMA . DEDVCTOS
ORE . ALLOQVIO . ARGENTO . SVBMISSO . SOLATVR
COEMPTO . FRVMENTO . ALIT
VECTIGALIVM . ONERE . LEVAT
QVOD . REGIIS . CENSIBVS . DETRAHIT
IN . POPVLI . COMMODA
CONFERT

LXXVIII.

8.

MILITARIS . DISCIPLINAE . VINDEX
EXERCITVM . DELECTV . ACCVRATO . CONSCRIBIT
BELLICIS . LABORIBVS . EXERCET
CLASSEM . COMMEATIBVS . TVTANDIS
COMPARAT
ARCEM . CAIETAE . CAPVAE . ATERNI
COMMVNIT
ARMAMENTARIVM . NAVIBVS . STRVENDIS . SARCIENDIS
INSTRVIT

LXXIX.

9.

MAGNO . ET . ADVERSIS . INVICTO . ANIMO
REGNVM . AVSPICATVR
INTENTATAE . SIBI . NECIS . CRIMEN . CONDONANS
CONSTANTIA . EADEM
PACEM
ARMIS . ASSERIT
PERTVRBATIONVM . DELETIS . RELIQVIIS

LXXX.

10.

RELIGIONEM
REBVS . OMNIBVS . ANTEFERENS
VITAE . SVAE . RATIONES
AD . CHRISTIANA . INSTITVTA . EXIGIT
FILIOS . AD . DEI . CVLTVM
EXEMPLO . ET . VOCE . INFORMAT
MAGNAM . MATREM . LABIS . PRIMAEVAE . EXPERTEM
DOMVS . REGIAE . ET . REGNI
AVSPICEM . ET . PATRONAM
COLIT . IMPENSISSIME

LXXXI.

11.

RELIGIONIS . AMPLIFICANDAE . STVDIO
AEDES . SACRAS
LABANTES . INSTAVRAT . SQVALORE . DETERGIT
A . FVNDAMENTIS . EXCITAT
COENOBIA
COETIBVS . RELIGIOSIS . RECLVDIT
LYCEA . STATIVA . ERGASTVLA
EXCOLI . AD . PIETATEM
IVBET

LXXXII.

12.

MORBO . CONTRA . SPEM . RECRVDESCENTE
CONFLICTATVS
REBVS . PLACIDE . COMPOSITIS
PIE . DECESSIT
TOTIVS . REGNI . DESIDERIO . ET . LACRIMIS
HONESTATVS

LXXXIII.

13.

IMMORTALIA . VT . SPECTES
MONET . MORS

LXXXIV.

14.

HEV . FLVXAE . MORTALIVM . VICES
HEV . PRAECEPS . TEMPORIS . FVGA
HEV . BREVI . INTERITVRVS . HONOS

LXXXV.

15.

DEVS . OPTIME . MAXIME
CVIVS
NVMINE . ET . AETERNO . CONSILIO
RES . HVMANAE . FLVVNT
PIACVLARI . PRECE . PLACATVS
IVNGE
IN . CAELESTI . REGNO
CHRISTINAE . SVAE
FERDINANDVM
QVOS . AMOR . VNVS . VNA . FIDES
SOCIAVIT
TV . REGVM . CVSTOS
TV . STATOR. REGNORVM
FRANCISCVM
TANTIS . PROGNATVM . PARENTIBVS
SOSPITA
VT . PATERNVM . NOMEN
RELIGIONIS . STVDIO . ET . RECTEFACTIS
AVCTET . PROVEHAT
MVLTA . IN . QVINQVENNIA

LXXXVI.

S. P. Q. R.
AVGVSTINO . DE . GOYON . COMITI
PRAEFECTO . GALLICIS . COPIIS . IN . VRBE
QVOD
PII . IX . PONT. MAX.
IMPERIO . OBSECVNDANS
DE . SECVRITATE . PVBLICA
BENE . MERVERIT *

* IN FRONTE AVERSA NOMISMATIS: FRONS ADVERSA REFERT ANNVM MDCCCLIX.

LXXXVII.

HELENA . CAROLI . FERLISI . COM. F.
ANNVM . AGENS . XVII.
HEIC . SITA . EST
DELICIVM . CONSTANTIAE . MATRIS
SOLATIVM
FAVSTAE . AVIAE
QVAE . INGENIVM . PERACRE
FORMAE . EXIMIAE . DECVS
MORES . MITISSIMOS
ORNABAT
PIETATE . ET . PVDORE
DECESS. KAL. NOV. AN. MDCCCLIII.
AVE . HELENA . ET . VIVE . CVM . CHRISTO
MEMOR . TVORVM

LXXXVIII.

Α ☧ Ω

HEIC . DORMIT
IN . PACE . CHRISTI
PETRVS . PALMIERI
INFANS . AN. III. MENS. III. DIER. XI.
CAIETANVS . ET . ANNA . CONTINI
POSVERE
FILIOLO . INNOCENTISSIMO
ADDITO . CHORIS . CAELESTIVM
III. IDVS . SEXTILES . AN. MDCCCLIX.

LXXXIX.

Α ☧ Ω

HEIC . SITVS . EST
HENRICVS . BIANCHI
A . PVERO . PIETATIS . ET . IN . LITTERIS
ET . SCIENTIIS . EXCOLENDIS . SOLLERTIAE
EXEMPLAR
PHTHISI . ABSVMPTVS . V. KAL. DEC. AN. MDCCCLVIII.
ANNVM . AGENS . VICESIMVM
NICOLAVS . ET . MARIA
CVM . LACRIMIS
POSVERE
FILIO . VNICO . OBSEQVENTISSIMO
AVE . DESIDERIVM . NOSTRVM
ET . VIVE . IN . PACE . CHRISTI *

* ROMAE.

XC.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLIX.
XIII. SACRI . PRINCIPATVS
D. N. PII . IX. PONTIFICIS . MAXIMI
RESTITVTORIS . ET . AMPLIFICATORIS
MVNICIPII . ROMANI
MVSEVM . CAPITOLINVM
INIVRIA . TEMPORVM . SQVALENS
FORNICE . INSTAVRATO
CVLTVQVE . ADDITO
IN . SPLENDIDIOREM . FORMAM
REVOCATVM . EST

ALOISIO . ANTONELLI . COMITE
FERDINANDO . DEL . CINQUE . MARCH.
IOANNE . E . PRINC. CHIGI
IOANNE . RICCI . RANDANINI . EQ.
IGNATIO . AMICI . EQ.
LAVRENTIO . ALIBRANDI . EQ.
ALOISIO DALL'OLIO . EQ.
IOSEPHO . PVLIERI . EQ.
} VIII VIRIS

PHILIPPO . TENERANI . EQ. TORQ.
MVSEI . PRAEFECTO

XCI.

HEIC . SITA . EST
MARIA
INNOCENTII . MECHELLI . F.
VXSOR . ALOISII . BALDINI
QVAE . AN. XIX. FLORENTIS . AETATIS
AB . ALTERO . PVERPERIO . DECESSIT
III. NON. NOV. AN. MDCCCLVIII.
MARITVS . CVM . LACRVMIS
P.
CONIVGI . PVDICISSIMAE
TE . IN . PACE . CHRISTVS

XCII.

HEIC . EXVVIAS . SVAS . POSVIT
PHILIPPVS . MALDVRA
DOMO . ROMA
PIVS . VIXIT . AN. P. M. LXXIX.
DECESSIT . IN . PACE . CHRISTI,
VI. ID. SEPT. AN. MDCCCLIX.
CLARA . MARCVCCI . CONIVX . ET . FILII
CVM . LACRIMIS
POSVERE *

* PRAENESTE.

XCIII.

VIRGO . DEI . PARENS
LABIS . PRIMAEVAE . EXPERS
SOCIAM . TIBI
IN . CAELESTI . SEDE . ADSCISCE
CAROLINAM . BIANCALANA
QVAE . TE . COLVIT . IMPENSE
DECESS. VIII. KAL. APR. AN. MDCCCLIX.
ANNOS . NATA . XXX . TANTVM
CAMILLVS . GAIANI
CVM . LACRIMIS . POSVIT
VXSORI . PIENTISSIMAE *

* MONUMENTO INSCULPTA EST MAGNA DEI PARENS PEDE PROTERENS CAPUT COLUBRI.

XCIV.

I

IOANNI . SARCANDER
SACERDOTI
CVRIONI . HOLLESCHOVIENSI . APVD . OLOMVCENSES
MARTYRVM . BEATORVM . HONORES
A . PIO . IX . PONT. MAX.
DECERNVNTVR

XCV.

2

B. IOANNES . SARCANDER
IN . TENEBRICOSAM . RETRVSVS . CVSTODIAM
STIPITI . MANVS . PEDESQVE . REVINCTVS
ARTVVM . COMPAGIBVS . TRACTIS . LVXATIS
RESINA . ADIPE . FACVLIS . AMBVSTVS
DVCTO . IN . MENSEM . CERTAMINE
FIDEM . CHRISTO . ADSERVIT

XCVI.

3

IOSEPHVS . VINKLER
MORBO . REGIO . CONFECTVS
A . B. IOANNIS . TVMVLO
SVRGIT . INCOLVMIS

XCVII.

GEORGIVS . KIMMEL
OCTENNIS
ACVTA . VI . PODAGRAE
DIES . NOCTESQVE . DISCRVCIABAR . MISER
MATRE . LONGAE . VIAE . COMITE
AD . B. IOANNIS : CARCEREM . ACCESSI
ILLICO . DIFFVGIT . DOLOR *

* IN BASILICA VATICANA.

XCVIII.

1.

PROVIDENTIA
D. N. PII . IX . PONT. MAX.
AMPLIFICATORIS . CHRISTIANI . NOMINIS
QVAE . DOMVS . ANTIQVA . FVERAT . VIRGINVM . SALESIAN.
HANC . ALVMNIS . AMERICAE . BOREALIS . FOEDERATAE
IN . ECCLESIAE . SPEM . DOCTRINA . ET . PIETATE . EXCOLENDIS
AERE . SVO . COMPARAVIT . CONGREGATIO . FIDEI . PROPAGANDAE
TANTI . OPERIS . INSTITVTIONEM . COLLATA . PECVNIA . IVVERE
CATHOLICI . CVM . EPISCOPIS . AMERIC. AN. MDCCCLIX.

XCIX.

2.

IV. KAL. FEBR. AN. MDCCCLX.
FESTO . DIE . FRANCISCI . SALESII
PIVS . IX . PONT. MAX.
PARENS . ET . AVCTOR . COLLEGII . AMERICAE . BOREALIS . FOEDER.
SACRIS . OPERATVS . IN . AEDE . N.
ALVMNOS . DAPE . CAELESTI . PAVIT
DOMVM . PROPITIVS . INVISIT
OMNES . ADMISSIONE . ET . ADLOQVIO . DIGNATVS . EST *

* IN COLLEGIO AMERICAE BOREALIS FOEDERATAE.

C.

MEMORIAE . ET . QVIETI
ROSAE
VXSORI . CAROLI . DANESI
DECESS. XII . KAL. OCT. AN. MDCCCLIX.
ANNVM . AGENS . XLII.
QVI . LEGIS
PACEM . SVPERVM
BENEMERENTI
ADPRECARE

CI.

MAGNAE . DEI . MATRI
LABIS . AB . ORIGINE . NESCIAE
AEDEM . A . FVNDAMENTIS . EDVCTAM
IOANNES . BAPTISTA . ROSATI . PONTIF. TVDERT.
SOLLEMNIBVS . CEREMONIIS . DEDICAVIT
VI . IDVS . OCTOB. AN. MDCCCLVII. *

* IN VMBRIA.

CII.

AVCTORITATE . PII . IX . PONT. MAX.
INDVLTVM . EST
VT . SACERDOS . HEIC . REI . DIVINAE
OPERATVS
VENIAM . ADMISSORVM
VITA . FVNCTIS . IMPETRET *

* TITVLVS ARAE INSCRIPTVS.

CIII.

HIC . IN . PACE . CHRISTI
QVIESCIT
LVCIA . DOMINICI . PACETTI . F.
VXSOR . FRANCISCI . TOGNI
PIA . MVNIFICA . IN . EGENOS
DECESS. XV. KAL. DEC. AN. MDCCCLIX.
ANNOS . NATA . LXV.
MARITVS . ET . FILII
PRO . NOBILIORI . MONVMENTO
QVOD . VETVIT
TITVLVM . CVM . LACRIMIS
P. *

* ALBANI IN AEDE PRINCIPE.

CIV.

HIC . IN . PACE . CHRISTI
APVD . FRANCISCAM . SOROREM . QVIESCIT
GELTRVDE . MARTINI . MARVCCHI . F.
VXSOR . MARCI . VALENTINI
QVAE . FILIOS . EXEMPLO . ET . PRAECEPTIS
AD . PIETATEM . INSTITVIT
PIE . DECESSIT . III . KAL. NOV. AN. MDCCCLIX.
ANNOS . NATA . LXXXV . MENS. VII . D. VII.
FILII . CVM . LACRIMIS . P.
LOCVM . SEPVLTVRAE . TRIBVIT . NICOLAVS . GIORGIOLI
SORORIS . FILIVS *

* ROMAE AD S. HADRIANI.

CV.

PROVIDENTIA
PHILIPPI . DE . ANGELIS . CARD. ARCHIEP. N.
AEDES . VETVSTATE . DILABENS . INSTAVRATA
ABSIS . INGENTI . SVBSTRVCTIONE . FIRMATA
TVRRIS . EDVCTA
CHORVS . HIEMALIS . EXTRVCTVS
CENSVS . AMPLIFICATI
QUAE . PARENTIS . OPTIMI . BENEFICIA
COLLEGIVM . CANONICORUM
POSTERITATI . COMMENDAVIT
AN. MDCCCLX. *

* IN PROVINCIA FIRMANA.

CVI.

AN. MDCCCLIX.
PIVS . IX . PONT. MAX.
PARENS . ET . AVCTOR . SEMINARII . PII
RVSTICANTIVM . ALVMNORVM . PIETATI
SACRARIVM . ADSTRVXIT *

* ROMAE IN SVBVRBANO.

CVII.

V . KALENDAS . OCTOBRES
CONSTANTINVS . PATRIZI . CARD. EP. ALBAN.
VICE . SACRA . ANTISTES . VRBIS
NOSTRAE . ALTOR. PIETATIS . ET . FAVTOR. STVDIORVM
SACRARIVM
SALVTARI . PRECATIONE . LVSTRAVIT
AN. MDCCCLIX. *

* ROMAE IN EODEM SVBVRBANO.

CVIII.

ACHILLES . ET . ATTILIVS . POZZI
HIC . COMPOSVERVNT
GELTRVDEM . AGAMEMNONE . MATREM
Θ. VI . KAL. APRIL. AN. MDCCCLIX.
MONVMENTO . COMPARATO
SIBI . ET . SVIS *

* ROMAE IN AEDE S. MARIAE AD MINERVAM.

CIX.

HIC . SITVS . EST
APVD . ANNAM . LOFI . VXSOREM
NICOLAVS . RINALDI
RELIGIONIS . TENAX
MVNIFICVS . IN . EGENOS
DECESS. XV . KAL. OCTOB. AN. MDCCCLIX.
ANNOS . NATVS . P. M. LX.
HEREDES
BENEMERENTI . POSVERE *

* ROMAE.

CX.

HEIC . IN . SEPVLCRO . GENTIS . MAXIMAE . AB . ARIGNANO
QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
GENOVEFA
IOANNIS . BAPTISTAE . DEYDERI . COMITIS . S. LAVRENTII . F.
DOMO . NICAEA . MASSILIENSIVM
VXSOR . IOSEPHI . GVTIERREZ . DE . ESTRADA
EQV. EXORNATI . MAGNA . CRVCE . CAROLI . III.
LEGATI . MEXICANI . IN . EVROPAM
QVAE . INGENIVM . BONIS . ARTIBVS . EXCVLTVM
SAPIENTIA . ET . MORVM . INTEGRITATE . COMMENDAVIT
DIVTVRNI . VIM . MORBI . IN . VIRTVTVM . INCREMENTA . VERTENS
SPE . PRAECIPIENS . CAELESTIA
DECESSIT . IDIBVS . MARTIIS . AN. MDCCCLX.
ANNOS . NATA . XLIV.
VALE . CONIVX . BONA . ET . VIVE . IN . DEO . CHRISTO

* ROMAE IN AEDE D. N. JESU.

CXI.

BENEDICTVM . IOSEPHVM . LABRE
CAELITVM . BEATORVM . HONORIBVS . SIGNAT
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS *

* HAEC SCRIBENDI FORMA EXPRESSA EST EX VIRGILIO QUI AENEIDOS LIBRO SEXTO ROMVLI APOTHEOSIM SIC ATTINGIT

ET PATER IPSE SVO SVPERVM IAM SIGNAT HONORE.

CXII.

2

B. BENEDICTVS . IOSEPHVS

DIEM . IN . SACRIS . AEDIBVS

NOCTEM . SVB . FORNICE . AMPHITHEATRI . FLAVII

EXIGIT . ORANS

CXIII.

3

CAELESTIA . CONTVENS
RERVM . OMNIVM . EGENAM
VITAM . TRADVCIT

CXIV.

4

CHRISTI . DOMINI . INSISTENS . VESTIGIIS
LVDIBRIA . ET . SCOMMATA . PLEBIS
AVCVPATVR

CXV.

5

FRANCISCO . PATRI
PAVPERTATIS . STVDIO
ET . ORDINIS . TERTII . SODALITIO
DEVINCTVS

CXVI.

6

FOEDVM . VLCVS . FAVCES . PERMEABAT
TERESIAE . TARTVFOLO
IN . DIES . PVTRESCENS
RECRVDVERAT . MEDENDO
BEATI . BENEDICTI . IOSEPHI . IMAGINIS . ATTACTV
EVANVIT

CXVII.

7

IOSEPHAE . MARINI . VIRGINI
LIENIS . VITIO . LABORANTI
LATVS . EXTEMPLO . DETVMVIT
OPE . BENEDICTI . IOSEPHI
CVI . MVLTIS . ANTE . ANNIS
STIPEM . PORREXERAT

CXVIII.

8

MARIA . ROSA . DE . LVCA
PECTORIS . TABE . IN . EXTREMVM . ADDVCTA
AD . BENEDICTI . IOSEPHI . TVMVLVM
ILLICO . REVALESCIT

CXIX.

9.

B. BENEDICTVS . IOSEPHVS
LAVRETANAM . VIRGINIS . DEI . PARENTIS . DOMVM
QVOTANNIS . ADIT
CORROGATAM . STIPEM . MENDICIS . LARGIENS
EOS . AD . CAELESTIA . HORTATVR *

* IN BASILICA VATICANA XIII KAL. IVNIAS ANNO MDCCCLX.

CXX.

HEIC . QVIESCIT
CVM . ANNÁ . BOSCHIA . CONIVGE
IOSEPHVS . SAVELLIVS
SOLLERS . FRVGI . TENAX . RECTI
MAGNAE . MATRIS . IMMACVLATAE
CVLTOR . EXIMIVS
EIVSQVE . SODALITII . PROVEHENDI . STVDIOSVS
DECESS. VII. KAL. OCT. AN MDCCCLIX.
ANNOS . NATVS . LXV. MENS. V. D. XXV.
ALOISIVS . SACERDOS
CVM . LACRIMIS . POSVIT
AVETE . PARENTES . OPTIMI
ET . VIVITE . IN . CHRISTO *

* FAVENTIAE.

CXXI.

HEIC . IN . PACE . QVIESCIT
BOLESLAVS . ANTONIVS . ADAMI . DE . ZAPOLYA . ZAPOLSKI . F .
NOBILISSIMO . LOCO . NATVS
IN . PROVINCIA . KIOVIENSI
ALVMNVS . SEMINARII . GALLICI
AVDITOR . THEOLOGIAE . IN . COLLEGIO . ROMANO
CVLTOR . EXIMIVS . PIETATIS
DEO . HAERERE . EXOPTANS
LAETVS . DECESSIT
III . KAL. IVN. AN. MDCCCLX.
ANNVM . AGENS . XXVII.
MARIA . BOROWSKA . FILIO . SVAVISSIMO
XAVERIVS
TITVS
AVGVSTVS
FRATRI . OPTATISSIMO
POSVERVNT
AVE . DVLCIS . ANIMA
TE . CHRISTVS . DEVS . CAELESTI . LVCE . BEET *

* ROMAE IN AEDE S. MARIAE AD MINERVAM.

CXXII.

1

PIO . IX.
PONTIFICI . MAXIMO
HOC . VERTENTE . DIE
REDVCI . ET . SOSPITI
ROMA . MEMOR *

* ROMAE IN MEDIA FRONTE CAPITOLII PRIDIE IDVS APRILES ANNI MDCCCLX.

CXXIII.

2

DEO . OPTIMO . MAXIMO
CVSTODI . ET . SOSPITATORI
PONTIFICVM . SVMMORVM
CVIVS . NVMINE . PRAESENTI
PIVS . IX.
HOC . AVSPICATO . DIE
PERDVELLIBVS . FRACTIS . FVGATIS
VRBEM . INIIT
ET . IN . CONCLAVIS . RVINA . FVIT . INCOLVMIS
QVIRITES
VNO . ANIMO
GRATES . REPENDVNT *

* ITEM ROMAE.

CXXIV.

3

PIO . IX.
PARENTI . PVBLICO
QVEM . FAVSTA . HAC . LVCE
DEVS . OPTIMVS . MAXIMVS
VRBI . REDONAVIT
SOSPITAVIT
AVDITORES . LYCEI . MAGNI
PLAVDVNT . ADCLAMANT
TE . PONTIFICE . TE . REGE
RES . CHRISTIANA
NOVIS . INCLARESCAT . TRIVMPHIS *

* ITEM ROMAE.

CXXV.

PIO . IX
PONTIFICI . MAXIMO
SCIENTIARVM . AMPLIFICATORI
IVRIS . ECCLESIAE . ET . GENTIVM
TVTORI . ET . VINDICI
AVDITORES . LYCEI . MAGNI . ROMANI
PLAVDVNT
DIE . FAVSTO . FELICI . REDEVNTE
QVO . SVMMVM . REI . CHRISTIANAE . MAGISTERIVM
INIVIT *

* TITVLVS INSCRIPTVS LIBELLO CARMINVM XV KALENDAS QVINTILES ANNI MDCCCLX.

CXXVI.

PIO . IX.
PONTIFICI . MAXIMO
FAVSTA . OMNIA
A . DEO . ADPRECANTVR
AVDITORES . LYCEI . MAGNI
XV . KAL. QVINT.
AN. MDCCCLX *

* TITVLVS TEMPORARIVS OBELISCO INSCRIPTVS.

CXXVII.

PIO . IX.
PONTIFICVM . MAXIMORVM . GLORIAM
FORTITVDINE . AMPLIFICANTI
COHORS . VRBANA
SACRVM . DIADEMA
DONAT
VITAM . PRO . EIVS . TVTELA
PACISCENS
XI . KAL. QVINTILES . AN. MDCCCLX. *

* INSCRIPTIO TEMPORARIA.

CXXVIII.

FESTIS . PASCHALIBVS . ANNI . CHRISTIANI
MDCCCLX.
ME . IESVS . DOMINVS
DIVINA . MENSA . PRIMVM . DIGNATVS . EST
IN . CONCLAVI . HOSPITO
S. ALOISII . GONZAGAE . PATRONI . SALVTARIS *

* TESSERA PASCHALIS.

CXXIX.

HEIC . IN . PACE . CHRISTI
QVIESCIT
CAMILLVS . IACOBI . F. ANGELINIVS . ROTA . EQ.
DOMO . VITERBIO
PATRICIA . NOBILITATE
QVEM . PRAEFECTVRA . APVD . SABINOS
PRAENESTINOS . SETINOS
PRO . DIGNITATE . FVNCTVM
PIVS . IX. P. M. ET . ISABELLA . HISPAN. REGINA
EQVESTRIBVS . INSIGNIBVS . EXORNARVNT
PIVS . VIXIT . AN. LII.
DECESSIT . IN . MAGISTRATV
VII . KAL. APR. AN. MDCCCLVIII.
IOSEPHVS
ANGELVS
IACOBVS
VINCENTIVS
PARENTI . OPTIMO . BENEMERENTISSIMO
POSVERE *

* RONCILIONE AD LACVM CIMINVM IN PROVINCIA VITERBIENSI.

Camilli fratris desiderium in me leniit pietas ejus in Deum eximia, quae cum in omni vita, tum vel maxime in morte enituit. Cum enim omnes abesse periculum affirmarent, ipse sacerdotem e S. Theresiae Carmelitide familia, quo consiliorum suorum participe et conscientiae moderatore utebatur, accersit, eique sua semel atque iterum aperit, eumque apud se manere iubet: tum eadem constantia se Christi corpore reficit.

Cum D. N. Pius IX regni sui provinciis peragratis Urbem mense septembri anno MDCCCLVII repeteret, Roncilione urbe nobili in provincia viterbiensi substitit, hospitio usus quod tanto Pontifici in praetorio suo appararat Camillus praetor. De eius virtutibus unum addam: Aloisius Iona episcopus faliscodunensis, qui fratre meo familiarissime utebatur, cum in sermonem de Camillo incideret: utinam, inquiebat, sacerdotes omnes eam vitae rationem inirent, ea morum integritate niterent, qua Camillus.

CXXX.

HEIC . COMPOSITVS . QVIESCIT
NAPOLEO . FRANCISCVS . GADARD
DOMO . ROTHOMAGO
IN EXERCITV . GALLICO
DECVRIO . ALAE . II . FABRVM
DECESSIT . XV . KAL. APRIL. AN. MDCCCLX.
* ANNOS . NATVS . XXV . MENS. I. D. XII.
IN . PACE . CHRISTI *

* ROMAE.

CXXXI.

HEIC . IN PACE . CHRISTI
QVIESCIT
MARIA . CLEMENTINA . IOSEPHI . ARMILLEI . F.
VXSOR . HILARII . BORGHI
QVAE . VIRO . ORBATA . OMNE . STVDIVM
AD . LIBEROS . INSTITVENDOS . CONTVLIT
CAELESTIBVS . VACANS . VNICE
AD . SVPEROS . ABIIT
V . KAL. DEC. AN. MDCCCXLIX.
ANNOS . NATA . LXXXII . MENS. IV . D. XXII.
XAVERIVS . RAPHAEL . ANNA
ET . DOMINICVS . SACERD. CAN. LAVRENTIAN.
QVI . SIBI . EVMDEM . CVM . MATRE
SEPVLTVRAE . LOCVM . ELEGIT
POSVERVNT
PARENTI . OPTIMAE . PIENTISSIMAE
AVE . ET . VIVE . CVM . CHRISTO . DEO *

* ROMAE IN BASILICA LAVRENTIANA AD THEATRVM POMPEII.

CXXXII.

PRAETORIANIS . MILITIBVS
MAGNAE . ANIMAE . PRODIGIS
AMILCARI . COSTARELLI . ALPHONSO . ZOPPOLI
IOANNI . RIZZOLI
QVI
IN . VITERBIENSI . PROVINCIA
AD . CRYPTAS . CASTRENSES
CVM . SVBALPINIS . PRAEDONIBVS
STRENNE . CONGRESSI
CECIDERVNT
PACEM . SVPERVM
ADPRECATVR
COHORS . PRAETORIA *

* ROMAE IN PARENTALIBVS, QVAE MENSE IVNIO AN. MDCCCLX ERANT PERSOLVENDA, HAVD TAMEN SVNT PERSOLVTA.

CXXXIII.

IOANNI . BAPTISTAE . DE . ROSSI
CAELITVM . BEATORVM . FASTIS . INSCRIPTO
COLLEGIVM . CANONICORVM
AD . SCHOLAM . GRAECAM
SOLLEMNIA . IN . TRIDVVM
OBIT
COLLEGAE . ET . PATRONO
VT . OPEM . REI . CHRISTIANAE . LABORANTI
FERAT *

* ROMAE AN. MDCCCLX.

CXXXIV.

MVNIFICENTIA
D. N. PII . IX . PONTIF. MAX.
ET . COLLATITIA . PIORVM . STIPE
SACRARII . SPATIA . LAXATA
SVBSELLARIVM . ET . BIBLIOTHECA
NOVIS . MOLITIONIBVS . AVCTA . ORNATA
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLX. *

* ROMAE AD S. BONAVENTVRAE IN COLLE PALATINO.

CXXXV.

IOANNI . BAPTISTAE . DE . ROSSI
CAELITVM . BEATORVM . HONORIBVS . AVCTO
QVI
IN . ROMANO . ATHENAEO . SOC. IESV
INGENII . VI . DOCTRINARVM . STVDIIS
VIRTVTVM . LAVDE
AEQVALIBVS . ANTECELLENS
VNIVERSAE . PHILOSOPHIAE . DOGMATA
STRENVE . PROPVGNAVIT
SACER . ESTO
HIC . LIBELLVS . ET . DISCEPTATIO
QVAM
AVSPICE . TANTO . PATRONO
INIT
COLINVS . KAMBO
E . COLLEGIO . GHISLERIO *

* INITA EST DISCEPTATIO IN COLLEGIO ROMANO XIII KALENDAS SEXTILES ANNO MDCCCLX.

CXXXVI.

HONORI
D. N. PII . IX . PONT. MAX.
QVI . IN . DITIONIS . SVAE . FINES . E . NEAPOLITANO . REGNO
CATHOLICORVM . STVDIIS . ET . ARMIS . REGREDIENS
IN . FRVSINATIVM . VRBE
VI . ET . V . IDVS . APRIL. AN. MDCCCL . SVBSTITIT
CAMPANA . PROVINCIA
AD . AVSPICATISSIMI . ADVENTVS . MEMORIAM
HAEC . ORDINI . TVTANDO . STATIVA
A . SOLO . EXCITAT
CONSILIO . XIIII . VIROR. PROVINCIAE . ADMINISTRANDAE
PRAESIDE . FERDINANDO . SCAPITTA
AN. MDCCCLX. *

* FRVSINONE IN FRONTE PRAESIDII.

CXXXVII.

A ☧ Ω

HEIC . COMPOSITVS . EST
CVM . MARIA . MAGDALENE . VARANO
E . DVCIBVS . CAMERTIVM . MATRE
FEMINA . SPECTATAE . VIRTVTIS
ANNOS . NATA . XLVI . MENS. IV . D. XXVIII.
Θ. XV . KAL. IANVAR. AN. MDCCCLVIII.
ET . ANNA . SORORE . ANNOR. IX . MENS. I. D. XXV.
ALEXANDER
HYACINTHI . VINCENTI . COMITIS . F.
QVEM . LITTERIS . ET . IVRIS . SCIENTIA . EXCVLTVM
PRAECEPS . VIS . MORBI . ROMAE . ABSVMPSIT
V . NONAS . OCTOBRES . AN. MDCCCLX.
ANNVM . AGENTEM . XXIV . MENS. X . D. XIX.
AVETE . ET VIVITE . IN . CHRISTO
HYACINTHVS . CVM . LACRVMIS
P. *

* REATE IN SABINIS.

CXXXVIII.

HIC . IACET
SVMMORVM . MAGISTRORVM . CRIMINIBVS . EXPIANDIS
MINIMVS
PECCATORVM . MAXIMVS

HOC . TITVLO
CONDI . SE . IVSSIT
GABRIEL . FERRETTI
DOMO . ANCONA
AMPLISSIMO . LOCO . NATVS
EPISCOPVS . SABINOR . CARD.
ABBAS . SS. VINCENTII . ET. ANASTASII . AD . AQVAS . SALVIAS
PRIOR . VRBANVS . ORDINIS . HIEROSOLYMARII
PRAESES . ADMISSIS . POENITENTIVM . ELVENDIS
DECESS. IDIB. SEPTEMBR. AN. MDCCCLX.
VIXIT . AN. LXV . MENS. VII . DI. XIV.
CONTEMPTV . SVI . FIDE . IN . DEVM
CARITATE . IN . OMNES
STVDIO . RELIGIONIS . OPERE . ET . CONCIONIBVS
PROVEHENDAE . CLARVIT
BENEDICTVS . COSTANTINI . SAC. AB. EPIST. HER. FID.
CVM . LACRVMIS . POSVIT
PATRONO . INCOMPARABILI *

* ROMAE AD CONCEPTIONIS IMMACULATAE APUD PATRES CAPULATOS S. FRANCISCI.

CXXXIX.

FRANCISCO . ERCVLANO
BAIENSI . IN . BRASILIA
QVI
IN . COLLEGIO . AMERICAE . AVSTRALIS
AD . EXIMIAM . VIRTVTIS . ET . DOCTRINAE . LAVDEM
ADOLESCEBAT
PRAECIPITI . VI . MORBI . ABREPTO
IVSTA . FVNEBRIA *

* INSCRIPTIO TEMPORARIA IN FRONTE AEDIS SACRAE.

CXL.

DEO . OPTIMO . MAXIMO
IN . HONOREM . S. ROCHI . PATRONI . SALVTARIS
DEPVLSORIS . PESTILITATIS
MVNIFICENTIA . VINCENTII . MACCHI . CARDINALIS
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLX. *

* CAPITE MONTIS AD LACVM VOLSINIVM IN ORBE AERIS CAMPANI.

CXLI.

MVNIFICENTIA
SCIPIONIS . SALVIATI . DVCIS
PATRONI . PROVIDENTISSIMI
CELLA
D. N. MARIAE . DESPONSAE . IOSEPHO
ELEGANTIORI . CVLTV
INSTAVRATA
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLX. *

* ROMAE IN COLLEGIO GHISLERIO.

CXLII.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . QVIESCIT
IOACHIMVS . VICTORII . F. DE . DOMINICIS
E . COLLEGIO . TABELLIONVM . VRBIS
MORIBVS . SPECTATISSIMIS
QVAESTVRA . IN . SVBSIDIVM . EGENORVM
SANCTE . PERFVNCTVS
DIEM . SVVM . OBIVIT
III . NONAS . APRILES . AN. MDCCCLVII.
ANNOS . NATVS . XLIII.
AVE . ET . VIVE . IN . CHRISTO *

* ROMAE.

CXLIII.

HEIC . SITVS . EST
GASPAR . TRAVERSI
ANNOS . NATVS . LXXV.
DECESSIT . XII . KAL. OCTOBRES . AN. MDCCCLIX.
DOMINICVS . ET . LAVRENTIVS
FRATRI . OPTIMO
P. *

* BASSANI IN SETINIS.

CXLIV.

VIRIS . FORTISSIMIS

QVI . VITAM . ECCLESIAE . TVTANDAE

DEVOVERVNT

SVPREMI . HONORES *

* ROMAE AD S. ROCHI V. KALENDAS DECEMBRES ANNI MDCCCLX. Romana pietas eluxit, cum nuncio allato nostros milites copiis praedonum obrutos ad Castrum Ficardum, Lauretum inter et Auximum fortiter occubuisse sacra Pontificis Maximi iura tuentes, iis solemni ritu parentatum est in singulis curiis.

CXLV.

PACEM . SVPERVM

ADPRECEMVR

STRENVIS . MILITIBVS

QVIBVS

PRO . RE . CHRISTIANA . CONTIGIT

OPPETERE *

* ROMAE IN FRONTE AEDIS SACRAE AN. MDCCCLX. Virgilius Aeneidos lib

« O terque quaterque beati
Queis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
Contigit oppetere! »

CXLVI.

MILITIBVS . EXIMIAE . VIRTVTIS
QVORVM . SANGVINE
SACRA . ECCLESIAE . IVRA . SVNT . ADSERTA
INSTAVRAT
SVPREMOS . HONORES
SODALITAS . AVGVSTVM . CHRISTI . DOMINI . CORPVS
AD . AEGROS . DEDVCENS *

* ROMAE IN FRONTE AEDIS SACRAE D. N. IESV AN. MDCCCLX.

CXLVII.

HEROIBVS
QVI . PVLCRAM . PRO . RELIGIONE
MORTEM . IN . PRAELIO . PETIERE
PALMA
ET . CAELESTIS . TRIVMPHVS *

* ROMAE IN FRONTE BASILICAE LAVRENTIANAE AD THEATRVM POMPEI AN. MDCCCLX. Virg. Georg. IV. « Pulcramque petunt per vulnera mortem. »

CXLVIII.

MILITIBVS

QVI . ROMANAE . ECCLESIAE . IVRA

STRENVE . TVENTES

VITAM . FVDERVNT

SOLLEMNIA . FVNERIS *

* ROMAE IN FRONTE AEDIS SACRAE.

CXLIX.

A ☧ Ω

HEIC . IN . SEDE . HONORIS . SVI
QVIESCIT . APVD . SODALES . SVOS
FRANCISCVS . VINCENTIVS . GAVDE
DOMO . CAMBIANO . IN . SVBALPINIS
QVI . AB . ADOLESCENTIA . ALVMNVS . INSTITVTI . DOMINICIANI
DOCTRINA . ET . ELOQVENDI . FACVLTATE . CLARVIT
COENOBIIS . INSVBRIAE . ET . VNIVERSAE . FAMILIAE
VICARIA . POTESTATE . PRAEFVIT
EIVSQVE . NEGOTIA . APVD . PONT. MAX. EGIT
SACRAS . DISCIPLINAS . IN . ROMANO . ATHENAEO . DOCVIT
A . SEMINARIO . PIO . CVI . PRIMVS . MODERATVS . EST
IN . PATRVM . CARDINALIVM . COLLEGIVM . ADSCITVS
DECRETIS . PONTIFICVM . MAXIMORVM . EDENDIS . ADLABORANS
APOPLEXI . DECESSIT . POSTRID . IDVS . DECEMBRES . AN. MDCCCLX.
ANNVM . AGENS . LI . MENS . VIII . D . IX.
DE . AEDIS . HVIVS . INSTAVRATIONE . PROBE . MERITVS *

* ROMAE AD S. MARIAE IN FORO MINERVAE.

CL.

Α ☧ Ω

HIC . VBI . CONDITVS . FVIT
B. PAVLVS . A . CRVCE
QVEM . HOSPITEM
DOMI . SVAE . HABVIT
COMPONI . VOLVIT
VINCENTIVS . MACCHI
CAPITEMONTANVS . E . PROVINC. VITERBIEN.
QVEM . APVD . LVSITANOS . HELVETIOS . GALLOS
DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS . LEGATIONE . FVNCTVM
LEO . XII . IN . PATRVM . CARDINALIVM
SENATVM . CONSCRIPSIT
GREGORIVS . XVI . AEMILIAE . PRAEFECIT
PIVS . IX . SIBI . A . DIPLOMATIBVS
ET . IN . CRIMINIBVS . ADVERSVS . ECCLESIAM . COGNOSCENDIS
ADESSE . IVSSIT
DECESSIT . PRINCEPS . ORDINIS . SVI
EPISC. OSTIENS. ET . VELITER.
PRID. KAL. OCTOB. AN. MDCCCLX . ANNOS . NATVS . XC. MENS. I.
OPES . QVAE . SIBI . AB . ECCLESIIS . ERANT
IN . DEI . CVLTVM . ET . PAVPERES . CONTVLIT
CONSILIO . IN . REBVS . GERENDIS
VIGILANTIA . ET . STVDIO
NE . QVID . DETRIMENTI . RES . CHRISTIANA . CAPERET
FAMAM . POSTERITATIS . PROMERVIT *

* ROMAE AD IOANNIS ET PAVLI MARTYRVM. VRNAE MARMOREAE QVAE MEDIVM IN MONVMENTO LOCVM TENET, INSCRIBENDVM CENSVI RESVRGAM.

CLI.

IOANNES . ET . PHILOMENA
SANTAMBROGIO
HEIC . COMPOSVIMVS
FILIOLOS . VENVSTISSIMOS
MARIAM . ANNAM . QVINQVENNEM . MARIAM . IMMACVLATAM . TRIMAM
IOSEPHVM . ANNI . VNIVS
EODEM . MORBO . EREPTOS . ANNO . MDCCCLX.
AVETE
ANIMVLAE . CANDIDISSIMAE
VIVITE . IN . CHRISTO
LAETIORES . NOSTRIS
EVNT . VOBIS . DIES *

* ROMAE.

CLII.

A ☧ Ω

LAVRENTIO . DOMINICI . F. ADAMI . COM.
EX . ORDINE . PATRITIO
PIETATE . IN . DEVM . BENEFICENTIA . IN . EGENOS
HVMANITATE . IN . OMNES
CIVIVM . AMOREM . ET . LAVDES . PROMERITO
DECESS. III . ID. DEC. AN. MDCCCLV . ANNOS . NATVS . LXXVII.
THOMAS . PICCOLOMINI . COMES . VRBEVET. SORORIS . FILIVS
POSVIT
AVE . ET . VIVE . IN . CHRISTO *

* FIRMI

CLIII.

III. IDVS . DECEMBRES
ANNI . MDCCCLIX.
IOSEPHVS . MARIA . VESPIGNANI
EPISCOPVS . N.
IN . SACELLVM . HOC.
CVI . A . SANCTORVM . RELIQVIIS . NOMEN
TRANSTVLIT . ET . RITE . CONDIDIT
SACRA . CHRISTI . DOMINI . ET . VIRGINIS . MATRIS
ET . SANCTORVM . III. M. PIGNORA
VT . PRAESIDIO . SINT
RELIGIONI . ET . PIETATI . CIVIVM *

* FICVLLIS IN PROVINCIA VRBEVETANA.

CLIV.

MEMORIAE . ET . QVIETI
ANDREAE . BOVRBONII . A . MONTE . MARCHIONIS
EQVITIS . TORQVATI . STEPHANIANI
DOMO . TIFERNO
CVIVS . PIETAS . ET . RELIGIO
PVLCRIOR . ADVERSIS . ECCLESIAE . VICIBVS . ENITVIT
VIXIT . AN. LXXVIII. MENS. IX. D. XXIX.
DECESS. XI. KAL. OCTOB. AN. MDCCCIX.
ANGELA . GHIVIZZANI
CONIVGI . CONCORDISSIMO
P.

ROMAE AD S. MARCELLI.

CLV.

HEIC . SITA . EST
ELISABETHA . FRANCISCI . ANTONII . TERRACIANI . F.
CONIVX . ALOISII . PELLEGRINI . COMITIS
QVAE . DEVM . PIETATE
FILIOS . INSTITVTIONE
PAVPERES . BENEFICIIS . COMPLEXA
DECESS. IX. KAL. FEBRVAR. AN. MDCCCLIX.
ANNVM . AGENS . XLVI. MENS. V. D. XXVI.
AVE . ELISABETHA . IN . PACE . CHRISTI
ET . VIVE . MEMOR . TVORVM *

* FRVSINONE IN PROVINCIA CAMPANA.

CLVI.

MEMORIAE
CLEMENTINAE . DE . SGRILLIS . C. F.
DOMO . MONTE . FLORE . IN . PICENO
CONIVGIS . IANVARII . ANGELINI . I. C.
MATRISFAMILIAS . SPECTATISSIMAE
QVAE . CONIVGIVM . AN. XL. VIDVITATEM . AN. XIII.
PRVDENTIA . ET . MORVM . SANCTITATE
HONESTAVIT
PIA . VIXIT . AN. LXVIII. MENS. VIII. D. XXIX.
DECESS. VI. KAL. IVN. AN. MDCCCLXI.
IOSEPHVS . ANTIST. VRB.
AEMIDIVS . SACERD.
FRANCISCVS
IGNATIVS
MATRI . OPTATISSIMAE
P. *

* ROMAE.

CLVII.

MVNIFICENTIA
D. N. PII . IX. PONT. MAX.
AEDES . MENTE . CAPTIS . CVRANDIS . LAXATAE
ACCESSVS . EXPLICATVS
SCALAE . INAEDIFICATAE
CELLAE . FVRORE . PERCITIS . ADSTRVCTAE
ATRIA . AD . APRICANDVM . PROLATA
OMNIA . CAELO . LIBERIORE . SALVBRIA
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLX.
SVMMO . MAGISTRO . COLLEGII . S. SPIRITVS
CAMILLO . NARDVCCI *

* ROMAE.

CLVIII.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXI.
NONIS . FEBRVARIIS
PIVS . IX. PONT. MAX.
REI . DIVINAE . OPERATVS
IN . AEDE . HAC . TRINITATIS . AVGVSTAE
NOBILES . ADOLESCENTVLAS
AD . AGNI . CAELESTIS . EPVLVM
PRIMITVS . ADSCIVIT
CHRISMATE . SANCTO . AD . CHRISTI . PRAELIA
NOVAS . MILITES . INSTRVXIT
IOANNIS . LEONARDI . VIRI . VENERANDI
CONDITORIS . SODALITATIS . A . MATRE . DEI
ALTERVM . PRODIGIVM
RATVM . EDIXIT
VIRGINES . A . CORDE . D. N. IESV
ANGELORVM . CONVIVIO . A . SE . REFECTAS
ADLOQVIO . BEAVIT *

* ROMAE IN GYNECAEO VIRGINVM A CORDE IESV D. N. IN PINCIIS.

CLIX.

A ☧ Ω

DOMINICO . BENEDETTI
QVEM . EMENSIS . IVRIS . STVDIIS
ET . PIETATIS . LAVDE . FLORENTEM
MORS . INTERCEPIT
AGENTEM . AN. XXVI. MENS. IX. D. VII.
KAL. DEC. AN. MDCCCLX.
IOSEPHVS . ET . CAROLINA
PARENTES
ET . MARIA . SOROR
DOMVS . VNICA . SPE . ORBATI
CVM . LACRVMIS
POSVERE
AVE . ET . VALE . DOMINICE
ET . VIVE . IN . CHRISTO *

* VRBEVETERE.

CLX.

CHERVBINO . MATTEVCCI . I. C.
ET . ANGELAE . GHIGI
PARENTIBVS
IN . TANTA . TEMPORVM . NEQVITIA . BEATIS
AMICI . EX . ANIMO . GRATVLANTVR
QVOD
PETRVS . EORVM . FILIVS . NATV . MAIOR
PATERNAS . IN . SE . VIRTVTES . REFERENS
A . LYCEO . FERRARIENSI
VBI . LAVREA . IN . VTROQVE . IVRE
DOCTORIBVS . DECVRIALIBVS
FAVSTE . ADCLAMANTIBVS
ORNATVS . EST
IN . ROMANI . ATHENAEI . IVRA . FVERIT . ADSCITVS
ET . PROPRAETORIA . DIGNITATE . AVCTVS
PRIDIE . KALENDAS . SEPTEMBRES . ANNI . MDCCCLX.
INDVLGENTIA . PII . IX.
PONT. MAX.
OPTIMI . PRINCIPIS
QVEM . DEVS . ITALIAE . LABORANTI . DIV . SOSPITET

CLXI.

VIRGO
CAELI . TERRAEQVE . POTENS
DEI . MATER . AB . ANGELO . RENVNCIATA
SI . TIBI . SACRA . SOLEMNIA . RITE . INIMVS
ANNO . CENTESIMO . VERTENTE
QVO . TVA . HAEC . IMAGO . AVGVSTA
AETATVM . PRIORVM . CVLTV . INSIGNIS
EX . HYPOGEO . HERMETIS . MARTYRIS
IN . SODALITIVM . N. INLATA . EST
TV . VOLENS . PROPITIA
ADESTO
REI . CHRISTIANAE
BONOSQVE . AD . EXITVS
DVCITO
PVBLICA . VOTA
AVSPICE . TE . PELAGI . MOTVS . IRAEQVE . RESIDANT
MITIOR . ET . SACRAM . PROVEHAT . VNDA . RATEM *

* IN COLLEGIO ROMANO POSTR. ID. APR. AN. MDCCCLXI.

CLXII.

SVCCEDE
PATER . ET . PRINCEPS
ANTISTES . MAXIME . RELIGIONIS
SVCCEDE
TIBI . GESTIENS . PLAVDIT
TE . FAVSTIS . PROSEQVITVR . OMINIBVS
IVVENTVS
HEIC . PIETATE . ET . BONIS . ARTIBVS . EXCVLTA
TVO . LAETIOR . ADSPECTV *

* IN COLLEGIO ROMANO IDIBVS APRILIBVS AN. MDCCCLXI. SED FRVSTRA.

CLXIII.

DEO . CHRISTO . SERVATORI
CRVCI . ADFIXO
SOLLEMNES . SVPPLICATIONES . IN . TRIDVVM
INIT
SODALITAS . AB . ITINERE
DOMINI . IESV . AD . CALVARIVM
ANNO . CENTESIMO . AB . INSTITVTIONE [1]

[1] ROMAE IN FRONTE AEDIS SACRAE.

CLXIV.

A ☧ Ω

HEIC . SITVS . EST . IN . PACE . CHRISTI
IOSEPHVS . MARIA . BRAVI
DOMO . MONTE . SANCTO . IN . PICENO
AB . ADOLESCENTIA . ALVMNVS . FAMILIAE . SILVESTRIN.
EPISCOPVS . COLVMBI . IN . INSVLA . CEYLANA
CVIVS . EXIMIA . VIRTVS
IN INDIS . AB . ERRORE . AD . EVANGELII . LEGEM . VERTENDIS
FRVCTVS . VBERES . TVLIT
MORBO . QVO . CONFLICTABATVR
DECESSIT . IN . ERYTHRAEO . ITALIAM . RELEGENS
AN. MDCCCLX . DIE . FESTO . D. N. MARIAE . IN . CAELVM . RECEPTAE
QVO . DIE . QVINDECIM . ANTE . ANNIS
AD . CEYLANVM . LITTVS . APPVLERAT
ANNVM . AGEBAT . XLVII.
VIVE . IN . DEO
EIQVE . BONAS . PRO . TVIS . INDIS . PRECES
ADMOVE *

* IN INSVLA CEYLANA, QVO CORPVS E FRETO SVESIO REVECTVM EST.

CLXV.

1.

AVSPICE . ET . PATRONO
IOSEPHO
DEI . PARENTIS . VIRO
ET . IESV . PVERI . NVTRICIO
PIETAS . ADOLESCET *

* IN REGIONE TRANS TIBERIM AD S. PETRVM.

CLXVI.

2.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXI.
POSTRID. KAL. FEBRVARIAS
PATVERE
PVERIS . EX . INFIMA . PLEBE
SCHOLAE
PROVIDENTIA . PII . IX . PONT. MAX.
PARENTIS . MVNIFICENTISSIMI

CLXVII.

3.

IOSEPHI
MAGNAE . MATRIS . DEI . VIRI . CASTISSIMI
MARMOREVM . SIGNVM
IOANNES . VIMERCATVS . COMES
CONSTITVIT
VT . PRAESIDIO . FORET
PVERIS . ET . MAGISTRIS

CLXVIII.

4.

AVCTORITATE
D. N. PII . IX. PONT. MAX.
INDVLTVM . EST
VT . QVI . ANTE . HANC . EFFIGIEM
DEO . RITE . SVPPLICAVERINT
IIS . CENTVM . POENALES . DIES
EXIMANTVR

CLXIX.

A ☧ Ω

IV. NONAS . MAIAS
ANNI . MDCCCLX.
ALEXANDER . ET . ALOISIA . RVFINI
CAELO . PRAEMISIMVS
PHILIPPVM . TRIMVLVM
AVE
FILIOLE . SVAVISSIME
ET . VIVE . CVM . ANGELIS
MEMOR . PARENTVM *

* ROMAE AD S. MARIAE IN FORO MINERVAE.

CLXX.

ANNO . MDCCCLIX.

FRANCISCVS . AMICI

HISCE . AEDIBVS

TESTAMENTO . TRANSMISIT . LX. NVM. S. ANNVOS

VT . EGENVS . ET . AEGER . SACERDOS

EXCIPERETVR *

* ROMAE IN SACERDOTVM XENODOCHIO AD PONTEM SIXTVM.

CLXXI.

CAIETANVS . MAZZARINI . SACERDOS
AEDES . SVAS . VICO . MORTIS
HVIC . XENODOCHIO
VECTIGALES . PERPETVO . FECIT
ANNO . MDCCCLIX.

IBI.

CLXXII.

A ☧ Ω

HIC . SIBI . REQVIETIS . SEDEM
VIVENS . PRAEOPTAVIT
SALVATOR . ANGELINI . EQVES
DOMO . ROMA
CVI . A . FRANCISCO . HIERONYMEO
AGNOMEN
INTER . SODALES . A . CORDE . D. N. IESV
ADLECTVS . NONIS . FEBRVARIIS . AN. MDCCCLIII.
IN . SANCTIVS . LXXII . VIR. CONSILIVM . ADSCITVS
PRID. NON. MAIAS . AN. MDCCCLV. *

* ROMAE AD S. THEODORI.

CLXXIII.

IDIBVS . MARTIIS
AN. MDCCCLXI.
AVCTORITATE . D. N. PII . IX . PONT. MAX.
INDVLTVM . EST
REM . DIVINAM . IN . HOC . ALTARI . PERAGENTIBVS
VT . ANIMA . PIACVLARIBVS . IGNIBVS . ERIPIATVR
MERITIS . CHRISTI . DOMINI
DIVINAE . EIVS . PARENTIS . ET . SANCTORVM *

* FICVLLIS IN PROVINCIA VRBEVETANA.

CLXXIV.

INCOLVMI

PIO . IX . PONTIFICE . ET . REGE

INCOLVMIS . ROMA *

* TITVLVS TEMPORARIVS IN FRONTE ATHENAEI ROMANI PRIDIE IDVS APRILES ANNI MDCCCLXI.

CLXXV.

VALEAT . VINCAT

VIVAT

VOTIS . NOSTRIS

PIVS . IX.

PATER . ET . RECTOR . ORBIS . CHRISTIANI *

* ITEM ROMAE IN REGIONE TRANS TIBERIM.

CLXXVI.

PIO . IX.
PONTIFICI . MAXIMO
DIEM . HVNC . PRID. IDVS . APRILES
DIVINAE . ERGA . SE . OPIS . TESTEM
FAVSTVM . FELICEM
GRATVLANTVR
AVDITORES . ATHENAEI . MAGNI
PARENTI . OPTIMO
IVRIS . SVI . REGII
PROPVGNATORI . INVICTO *

* ROMAE ANNO MDCCCLXI.

CLXXVII.

A ☧ Ω

AMALIAE . CICALAE
VIRGINI
ANNOR. XVI. MENS. I. DIER. XXII.
QVAE . PVDICITIAE . FLOREM
CAELO . INTVLIT
XV. KAL. SEPTEMB. AN. MDCCCLX.
PAVLVS . ET . MARIA
FILIAE . INNOCENTISSIMAE
P. *

* ROMAE.

CLXXVIII.

HEIC . IN . PACE . CHRISTI
QVIESCIT
MARIA . THOMASIA . BONAINIA . COMES
FOEMINA . SPECTATISSIMA
VXOR . IACOBI . ANTINORII . MARCHIONIS
QVAE . IN . HOC . SACELLO . AERE . SVO . EXCITATO
ANTE . CHRISTVM . DOMINVM . ORANS
SVBITA . MORTE . ABREPTA . EST
XV. KAL. SEXTIL. AN. MDCCCXXXII. AN. NATA . L.
QVO . DIE . SACRA . DE . ALTARI . LIBAVERAT
FILII . TANTAE . VIRTVTIS . MEMORES
POSVERE *

* RVRE APVD PERVSIAM.

CLXXIX.

HEIC . SITVS . EST

ANGELVS . FRANCESCHETTI

DIEM . SVVM . OBIIT . KAL. IVN. A. MDCCCLXI.

ANNVM . AGENS . LVI. MENS. VI. D. II.

FRATRIS . FILII

POSVERE *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CLXXX.

1.

ALOISIVS . BEDINI

SIBI . ET . SVIS

ET . ALOISIAE . GARRIGOS . SORORI . VXORIS

LOCVM . SEPVLCRI

COMPARAVIT

AN. MDCCCLXI.

CLXXXI.

2.

HEIC . SITA . EST
CVM . INFANTVLA . VNIVS . DIEI
MARIA . THERESIA . BORGHI . VXSOR . ATTILII . BEDINI
QVAE . DECIMO . MENSE . A . CONIVGIO
ABIIT . AD . CAELESTES
IV. NONAS . QVINTILES . AN. MDCCCLX.
AVE . ET . VIVE . IN CHRISTO *

* ROMAE.

CLXXXII.

CELLA . IESV . IN . CRVCEM . ACTI
AD . S. ROCHI
AFFABRE . DEPICTA
AB . ACHILLE . SCACCIONI
AN. MDCCCLX. *

* ROMAE IN NVMISMATE.

CLXXXIII.

CELLA . IESV . CRVCI . ADFIXI
AD . S. ROCHI
INSTAVRATA . ET . EXCVLTA
IOANNE . BAPTISTA . BENEDETTI . ARCHITECTO
AN. MDCCCLX. *

* ROMAE IN NVMISMATE.

CLXXXIV.

PIO . IX.

PONTIFICI . MAXIMO

COLLEGIVM

AMERICAE . BOREALIS . FOEDERATAE

CONDITORI . ET . PARENTI *

* ROMAE SVB SIGNO MARMOREO.

CLXXXVI.

DEO . VNI . TRINO . AETERNO
AVCTORI . VIRTVTVM . OMNIVM
IN . HONOREM
BENEDICTI . IOSEPHI . LABRE
AD . CAELITVM . BEATORVM . HONORES . EVECTI
A . PIO IX . PONT. MAX.
SOLEMNIA . IN . TRIDVVM *

* ROMAE IN FRONTE AEDIS SACRAE.

CLXXXVII.

BENEDICTE . IOSEPHE
SI . TIBI . SPLENDIDO . CVLTV
AEDEM . HANC . ORNAMVS
QVAE . TE . FVNDENTEM . PRECES
ET . DIVINO . EPVLO . REFECTVM . VIDIT
TVAQVE . SACRA . OSSA . SERVAT
TV . NOBIS . DEXTER . ADSIS
NOSTROSQVE . ANIMOS
A . CADVCIS . AD . AETERNA
TRADVCAS *

* IN EADEM AEDE SACRA.

CLXXXVIII.

Α ☧ Ω

IOACHIMO . CAMILLI . F. SOLDI
OFFICINATORI . LIBRARIO
CVIVS . IN . DEVM . PIETAS
ET . MORVM . INTEGRITAS
IN . SODALITIO . CARAVITANO . ELVXIT
CAELEBS . VIXIT . AN. LIV. D. IX.
DECESS. IDIB. FEBRVAR. AN. MDCCCLXI.
IOANNES . BAPTISTA
FRATRI . CONCORDISSIMO
P. *

* ROMAE.

CLXXXIX.

A ☧ Ω

PHILVMENAE
VIRGINI
ANNOR. XIV. MENS. I.
QVAE . FORMAM . INGENIO
INGENIVM . PVDORE . ORNAVIT
ANTONIVS . RIGOSA . ET . MARIA . PIETROSANTI
POSVERE
FILIOLAE . OBSEQVENTISSIMAE
CAELESTIVM . COETIBVS . ADDITAE
KALENDIS . QVINTILIBVS . AN. MDCCCLX.
AVE . COLVMBA . INNOCVA
ET . VIVE . CVM . CHRISTO
MEMOR . TVORVM *

* ROMAE AD S. MARIAE IN FORO MINERVAE.

CXC.

MENSE . MAIO

ANNI . MDCCCLXI.

SYMBOLAM . CONTVLIMVS

PIAVIMVS

EXPILATIONEM . CELLAE

D. N. MARIAE *

* ROMAE AD S. ROCHI. TITVLVS INSCRIPTVS CORDI AVREO.
Sub exordium anni MDCCCLXI Magnae Dei Matris aram aureis argenteisque donis divitem fures in aede s. Rochi compilarant: tantum facinus indigne ferentes viri et matronae Cor solido ex auro gemmisque distinctum Magnae Dei Parenti obtulerunt.

CXCI.

MAIOR . AB . INTERITV *

* IN FRONTE AVERSA NVMISMATIS, QVOD CVDENDVM ERAT: FRONS ADVERSA REFERT GEORGIVM DE PIMODAN, EIVSQVE IMAGINEM OBIT NOMEN: SVB EFFIGIE « ANNO MDCCCLX EX SENATVS CONSVLTO. »

CXCII.

A ☧ Ω

ANTONIO . FORTI
DOMO . ROMA
QVI . MEDICAE . ARTIS . SCIENTIAM
IN . EGENTIVM . LEVAMEN . CONTVLIT
PIETATEM . STVDIO . ORANDI . FOVIT
MVLTIS . CONSILIO . ET . OPIBVS
OMNIBVS . EXEMPLO . PROFVIT
VRSVLA . ALBONI
PACEM . SVPERVM . ADPRECATVR
VIRO : CONCORDISSIMO
VITA . FVNCTO . IV. IDVS . OCTOBRES . AN. MDCCCLIX.
ANNOS . NATO . LII. *

* ROMAE AD S. FRANCISCI APVD TIBERIM.

CXCIII.

AVSPICE
VIRGINE . DEI . PARENTE
IMMACVLATA . AB . ORIGINE
REX . ET . PONTIFEX
PIE . IX.
VINCES
AN. MDCCCLX. *

* IN FRONTE AVERSA NVMISMATIS, QVOD PIO IX OBTVLIT PATER CARDINALIS ANTONIVS TOSTI: FRONS ADVERSA REFERT MAGNAM DEI MATREM LABIS PRIMAEVAE IMMVNEM.

CXCIV.

AVE . LAVRENTILLE
TE . BIMVLVM . COETIBVS . CAELESTIVM
INSERVIT . DEVS
XV. KAL. MAIAS . AN. MDCCCLX.
IVLIVS . GASPARESI . COMES
ET . FLAVIA . VXSOR
POSVERE
DELICIO . SVO

CXCV.

VIVE . IN . CHRISTO
CONSTANTIA
BELLVLA . COMIS . FESTIVA
TE . CAELESTIS . DOMVS . EXCIPIT
KALENDIS . IVNIIS . AN. MDCCCLIV.
QVO . DIE . ALTERVM . INIBAS . ANNVM
ALOISIVS . QVAREGNA . ET . ELISABETHA . RISTORI
PARENTES
TIBI . TVAM . GRATVLAMVR . VICEM *

* VENETIIS.

CXCVI.

NATALIAE
VIRGINI . ANNOR. XI.
QVAE . CHRISTI . DOMINI . CORPORE
PRIMVM . REFECTA
AD . CAELESTEM . SPONSVM . AVOLAVIT
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLX.
DIE . FESTO . MAGNAE . DEI . PARENTIS
SIDERIBVS . RECEPTAE
QVAM . COLVIT . IMPENSE
NICOLAVS . ET . LVCRETIA . AZZALA
POSVERVNT
CORCVLO . SVO *

* TERGESTE.

CXCVII.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXI.
ANTONIVS . ET . PETRVS . CASSETTA
STVDIO . PIETATIS
ERGA . FRANCISCVM . PARENTEM . ORDINIS . N.
SACRARIVM . HOC . SVMPTIBVS . SVIS . ORNARVNT
OPERE . DVRATEO *

* ROMAE AD S. BONAVENTVRAE IN COLLE PALATINO.

CXCVIII.

TIBI . ALOISI . PATRONE
VOTA . FVNDIT . DVPLICAT
ROMANA . IVVENTVS
TVAE . FIDENS . OPI
PRO . INCOLVMITATE
PII . IX . PONTIFICIS . MAXIMI
ANNO . XVI . INEVNTE
QVO . TRIPLICI . CHRISTIANI . ORBIS . DIADEMATE
REDIMITVS . EST *

* ROMAE: VOTIVA TEMPORARIA XI KALENDAS QVINTILES ANNI MDCCCLXI. Virgilius Aeneidos VIII « Vota metu duplicant matres. »

CXCIX.

HEIC . IN . CHRISTO . QVIESCO
FLORENTIVS
FRANCISCI . ARBANO . COMITIS . FILIVS
PIETATEM . COLVI
LITERAS . ARRIPVI . INGENIVM . EXERCVI
PARENTIBVS . SVM . OBSECVTVS
NE . ME . VIII . ANNO . INEVNTE
ABREPTVM . FLETE
AD . ALOISIVM . PATRONVM
QVEM . DILEXI . VNICE
AVOLAVI
ALBESCENTE . DIE . FESTO . IVVENIS . INTEGERRIMI
ANNO . MDCCCLX. *

* PRAGAE IN BOEMIA.

CC.

DA . CASTO . CINERI . FLORES
HEIC . DORMIT
IN . PACE . CHRISTI
IOANNES
PVER . ANNOR. V.
CVIVS . PIETAS . ANTEIBAT . AETATEM
KALENDIS . MAIIS . ANNI . MDCCCLX.
INGEMINANS
O . IESV . O . MARIA
AD . VOS . VENIO
ANIMAM . EFFLAVIT
ANTONIVS . VAN-HORLEY . DYNASTA
ET . GELTRVDE . VALPVRG . FEMINA . PRINCEPS
POSVERVNT
FILIOLO . INNOCVO *

* RVRE APVD AMSTELODAMVM.
Contra scribendi leges ii facere videntur, qui in recto efferunt Geltrudes, Irenes, Hagnes: nomina enim quae in es exeunt, virorum sunt, ut Hercules, Verres, Laches, si ex hoc numero perpauca demas.

CCI.

A ☧ Ω

PACEM . SVPERVM . ADPRECAMINI
BERNARDINO . ANGELI . F. FACCENDA
DOMO . VITHORCLEANO . IN . PROV. VITERB.
AVDITORI . PHILOSOPHIAE . IN . COLLEGIO . ROMANO
QVEM . SICARII . MANVS . CONFODIT
ILLVCESCENTIBVS . NONIS . APRILIBVS . AN. MDCCCLXI.
PIVS . VIXIT . ANNOS . XX. MENS. II. D. XVII.
SEPTIMIVS . SACERDOS
FRATRI . INCOMPARABILI
MOERENS . P.
CONCIDIS . IGNOTA . CONFOSSVS . CVSPIDE . FRATER
VOCE . DEVM . SVPPLEX . DEFICIENTE . VOCANS *

* ROMAE IN COEMETERIO.
Virgilius Aeneidos VI « Voce vocans Hecaten caeloque ereboque potentem. »

CCII.

A ☧ Ω

ALOISIO . GIAMMARIA
DOMO . ROMA
PEREGRE . DEFVNCTO
PRIDIE . IDVS . IVNIAS . AN. MDCCCLXI.
ANNOS . NATO . LVIII.
AMICI . ROMAE . CONSISTENTES
A . SVMMIS . RATIONIBVS
VECTIGALIVM . SALIS . ET . HERBAE . NICOTIANAE
POSVERVNT
COLLEGAE . OPTATISSIMO *

* RVRE APVD TVSCVLVM.

CCIII.

(FICTI ARGVMENTI)

IDIBVS . MARTIIS
SENATV . IN . CAPITOLIVM . VOCATO
DE . RE . PVBLICA . DE . ADMINISTRATIONE . BELLI
DE . PROVINCIIS . DEQVE . EXERCITIBVS
PATRES CONSVLVERVNT
QVINTO . METELLO . ET . APPIO . CLAVDIO
CONSVLIBVS . IMPERIVM . PROROGETVR
M. IVNIVS . IN . HETRVRIA . M. MARCELLVS . IN . GALLIIS
PRAETORES . RELIQVIAS . BELLI . PERSEQVANTVR
SI . SVPPLEMENTO . OPVS . ERIT . SVPPLEANT . DE . LEGIONIBVS
QVIBVS . C. SVLPICIVS . IN . VMBRIA . PRAEEST
NE . QVEM . MILITEM . LEGANT . EX . EO . NVMERO
QVIBVS . SENATVS . OB . FVGAM . EX . ACIE
REDITVM . IN . PATRIA . NEGAVIT
DE . FRVMENTO . DE . ANNONA . SALARIA . AGENDVM
CVM . TRIBVNIS . PLEBIS
DE . VECTIGALIBVS . CONSVLTATIONEM . DIFFERRI . PLACVIT
DE . HONORE . HABENDO . T. SEMPRONIO
QVI . EX . FAVCIBVS . HOSTIVM
ERIPVIT . ALLOBROGES . SOCIOS . POPVLI . ROMANI . ET . AMICOS
IN . HANC . SENTENTIAM . ITVM . EST
VT . STATVA . IN . FORO . CONSTITVATVR
HOC . TITVLO
T. SEMPRONIO
ALLOBROGVM . TVTORI *

* SENATVSCONSVLTVM IN SCHOLA GRAMMATICES COLLEGII ROMANI ANNO MDCCCLIX.

CCIV.

BENEDICTVS . IOSEPHVS . LABRE
GENTE . PICARDVS . IN . GALLIIS
PERAGRATIS . STVDIO . PIETATIS
REGIONIBVS . EVROPAE
PAEDORE . ET . SORDIBVS . OBSITVS
FAME . FRIGORE . VIGILIIS . ENECTVS
ROMAE
AD . CAELESTEM . SEDEM . DEMIGRAT
XVI. KALENDAS . MAIAS . AN. MDCCLXXXIII.
ARDVAM . VIRTVTIS . VIAM
EMENSVS . ANNIS . XXXV. DIEB. XXI.
A . PIO IX . PONTIFICE . MAXIMO
AD . CAELITVM . BEATORVM . HONORES
EVECTVS . AN. MDCCCLX. *

* SVB SIGNO MARMOREO.

CCV.

LOCVS . SEPVLTVRAE . COMMVNIS
SVMPTV . PVBLICO
CLAVSVS
ET . RITE . LVSTRATVS
AB . ALOISIO . AMAT . CARD. EPISC. N. *

* PRAENESTE IN FRONTE COEMETERII.

CCVI.

DORMI
IN . PACE . CHRISTI
LAVRENTILLE
CVI . EXTREMA . IN . MORTE
MAGNA . DEI . PARENS
MARIA
LEVAMEN . SPES . ET . GAVDIVM . FVIT
HECTOR . PALOMBA . COMES
POSVIT
FILIOLO . SVAVISSIMO
IV . ANNOS . NATO
CAELESTEM . DOMVM . INEVNTI
KALENDIS . MAIIS . AN. MDCCCLXI. *

* ROMAE.
Virgil. Aen. II. « His se quando ultima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis. »

CCVII.

SPARGITE . HVMVM . FOLIIS

HEIC . SITVS . EST

LEONILLVS

MENSIVM . IV. DIER. VIII. HORAR. X.

QVEM . DIES . NATALIS . CHRISTI . DOMINI

AN. MDCCCLX.

BEATORVM . SEDIBVS . INSERVIT

ORESTES . RATTA . EQ.

ET . HELEONORA . CONIVX

POSVERE

DELICIO . SVO *

* CORCYRAE. In christianis titulis cernere est mensem, diem, horam, et horae particulam, qua quis supremum diem obivit, ut nos edocent perantiqua monumenta apud Boldetti, Severani, Bosio, et recentiores.

CCVIII.

A ☧ Ω

XII. KAL. SEXSTILES . AN. MDCCCLXI.
VITAM . INIIT . CAELESTEM
MARIA
ANNOR. II. MENS. VII. DIER. XII.
PETRVS . TIRINONI . CVM . ALOISIA . CONIVGE
POSVIT
FILIOLAE . SVAVISSIMAE

ROMAE.

CCIX.

A ☧ Ω

HEIC . SITA . EST . IN . PACE . CHRISTI
MARIA . MAGDALENE . IOANNIS . LVCAE . SFORZA . F.
VXSOR . DOMINICI . CARDARELLI
QVOCVM . ANNOS . XLIII. EXEGIT . SINE . QVERELA
VIRO . ORBATA . AMAVIT . VNICE . AETERNA
AD . QVAE . MIGRAVIT
III. NONAS . MARTIAS . AN. MDCCCLXI.
ANNVM . AGENS . LXVI. MENS. VI. D. XIV.
NICOLAVS . SACERDOS
IOANNES . LVCAS
SALVATOR
ALOISIVS
VINCENTIVS
MARIANNA
HYACINTHA
MARIA . ALOISIA
CVM . LACRIMIS . POSVERVNT
MATRI . OPTIMAE
CVIVS . SOLERTIA . ET . VIRTVTE
RES . FAMILIARIS . AVCTA
CONCORDIA . SERVATA
MORES . AD . RELIGIONIS . LEGES . EXACTI
AVE . ET . VIVE . IN . DEO
PARENS . BENEMERENTISSIMA
NVLLA . DIES . NOS . A . TVIS . PRAECEPTIS
ABNORMES . CONSPICIET *

* VINEANELLI IN PROVINCIA VITERBIENSI.

CCX.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . QVIETI
ADELES . ANTONII . GALLI . F.
DOMO . ROMA
VXORIS . VINCENTII . DE . NICOLA
QVAE
VOCE . ET . EXEMPLO
FILIOS . IN . SPEM . VIRTVTIS . EDVXIT
VIRI . AMOREM . AMORE . REPENDIT
PIA . VIXIT . ANNOS . XXIII . TANTVM
DIEM . SVVM . OBIVIT . V. IDVS . IANVARIAS . AN. MDCCCLXI.
MARITVS . CONTRA . VOTVM
CONIVGI . CONCORDISSIMAE
P. *

* TVSCVLI.

CCXI.

PIVS . IX. PONT. MAX.
CENSIBVS . ADTRIBVTIS
SACRARII . DIGNITATI . CONSVLVIT
AN. MDCCCLXI. *

* CVPRAE MONTANAE IN PICENO IN SACRARIO AEDIS PRINCIPIS.

CCXII.

EDITIS . CAIETAE
BELLICAE . VIRTVTIS . EXEMPLIS
ROMAM . DEMIGRAT
MAIOR . IN ADVERSIS
AN. MDCCCLXI. *

* IN FRONTE AVERSA NVMISMATIS. FRONS ADVERSA EXPRIMIT FRANCISCI II. IMAGINEM, QVAM OBEVNT HAEC VERBA: FRANCISCVS II. DEI GRATIA NEAPOLIS ET SICILIAE REX.

CCXIII.

PIVS . IX. PONT. MAX.
COPIIS . SVBALPINIS . ITALIAM
MISCENTIBVS
SACRA . ET . CIVILIA . IVRA
ADSERIT
AN. MDCCCLXI. *

* IN FRONTE AVERSA NVMISMATIS, QVOD PIO IX. OBTVLIT ANTONIVS TOSTI CARD. A BIBLIOTHECA ROMANAE ECCLESIAE. FRONS ADVERSA EXHIBET MAGNAM DEI PARENTEM EXPRESSAM A FORMA MICHAELIS ANGELI BONAROTI.

CCXIV.

1.

PROVIDENTIAE . DEI . AETERNI
ERGA . ECCLESIAM . ROMANAM
HIC . DIES . PERPETVO . SACER. ESTO
QVO . DIE . PETRVS . APOSTOLVS
SVMMI . IN . VRBE . SACERDOTII
INITIVM . POSVIT

CCXV.

2.

PETRO . MAGISTRO . ET . DVCE
COHORS. SACRA . SACERDOTVM
MALE . OMINATOS . IMPIORVM . AVSVS
CONTVNDET

CCXVI.

3.

CHRISTO . DEO . AETERNO
ADSERTORI . ET . STATORI . CATHOLICI . NOMINIS
GRATIARVM . ACTIO
QVOD . EIVS . NVMINE . ET . OPE
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
MISCENTIBVS . ITALIAM . HOSTIBVS
ROMAE . PACEM . OTIVMQVE
PEPERERIT

CCXVII.

4.

PETRO . ET . PAVLO
MAGNIS . CHRISTI . APOSTOLIS
QVIRITES
FIDE . IN . EORVM . EXVVIIS . AVCTA
VOTA . RITE . CONCIPIVNT
VTI . SIBI . PRAESENTES . PROPITIIQVE . SIENT *

* ROMAE. TITVLI TEMPORARII PROPOSITI XV KALENDAS FEBRVARIAS ANNI MDCCCLXII.

CCXVIII.

A ☧ Ω

HEIC . SITVS . EST
CONSTANTINVS . FORTI
ALOISII . ET . ALOISIAE . MANCINI . F.
DOMO . ROMA
EQVES . GREGORIANVS . ET . AVRATAE . MILITIAE
PRAEFECTVS . OPERIBVS . BELLICIS . ET MVNITIONIBVS
DIAGRAPHICEN. EXCOLVIT
PERVSINAM . ARCEM . INSTAVRAVIT . PERFECIT
CHRISTOPHORO . LAMORICIERIO . MILITVM . N. DVCI
INGENIVM . SVVM . IN . PROPVGNACVLIS . PROBAVIT
A . SVBALPINIS . PICENOS . ET . VMBROS . DIRIPIENTIBVS
CAPTVS . ET . IN . CVSTODIAM . CONIECTVS
ROMAE . EXITVM . VITAE . HABVIT . XVII . KAL. IAN. AN. MDCCCLXI
ANNOS . NATVS . XLIII
FIDE . IN . PETRI . SEDEM . IMMOTA
VICTORIA . E. MIGNANELLIS . COM. VXSOR
ET . HELENA . FILIA
CVM . LACRIMIS
P. *

* ROMAE

CCXIX.

A ☧ Ω

HEIC . SIBI . QVIETIS . SEDEM . OPTAVIT
ANTONIVS . ANTONII . F. SOLÀ
DOMO . BARCINONE
EGREGIAM . IN . MARMORE . SCVLPENDO . LAVDEM . ADEPTVS
SODALIVM . ARTIFICVM . HISPANORVM . ROMAE
CONSISTENTIVM . PRAESES
ANNVVS . COLLEGII . S. LVCAE . PRAEFECTVS
TORQVE . AVREO . CAROLI . III . ORNATVS
PIVS . VIXIT . AN. LXXXI
DECESS. IV . IDVS . IVNIAS . AN. MDCCCLXI
EMMANVEL . RODRIQVEZ . E. COLLEGIO . XIIVIR. LITIBVS . IVDICANDIS
ET . DOMINICVS . MARTINEZ . CVR. TESTAM.
POSVERVNT
AMICO . ANTIQVAE . VIRTVTIS *

* ROMAE AD S. MARIAE IN MONTE SERRATO.

CCXX.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXI
PIVS . IX . PONT. MAX.
AEDES . HERBAE . NICOTIANAE
PVBLICOS . IN . VSVS . APPARANDAE
A . SOLO . EXCITAVIT
MACHINIS . IGNEO . ACTIS . VAPORE
DIAETIS . PROMPTVARIIS . ET . OFFICINIS . INSTRVXIT
SALIENTIBVS . ADDITIS . OPIFICIA . IVVIT
OPERARVM . VALETVDINI . CONSVLVIT . AMPLITVDINE . OECORVM
ADMINISTRATIONIS . MVNERA
HAC . ILLAC . DISTRACTA . CONGREGAVIT
IOSEPHO . FERRARI . ANT. VRB. PRAEF. AERAR.
IOSEPHO . FERRAIOLI . MARCH. PRAEP. ADMIN. *

* ROMAE

CCXXI.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXI
POSTRIDIE . IDVS . FEBRVARIAS
DECVS . INSIGNE . DOMVI . NOSTRAE . ACCESSIT
ADITV . ET . PRAESENTIA
FRANCISCI . II . NEAPOLIS . ET . SICILIAE . REGIS
ET . MARIAE . SOPHIAE . BAVARICAE . CONIVGIS
QVI . CVM . ALOISIO . ET . ALPHONSO . FRATRIBVS
ET . FRANCISCO . PATRVO
CAIETA . QVAM . INVICTE . TVEBANTVR . EXPVGNATA
ROMAM . AD . PIVM . IX . PONT. MAX. CONTENDEBANT
GREGORIVS . ANTONELLIVS . COMES
VITAM . A . PERDVELLIVM . FVRORE . AN. MDCCCXLVIII
INCOLVMEM . FERDINANDO . II . ACCEPTAM . REFERENS
HOSPITEM . FILIVM . GRATVS . EXCEPIT *

* ANXVRE IN AEDIBVS ANTONELLIORVM COMITVM.

CCXXII.

IMAGO . MAGNAE . DEI . PARENTIS . EX . HYPOGEO . HERMETIS
MARTYRIS . IN . SODALITIVM . PRINCEPS . COLLEGII . ROMANI
ELATA . ANNO . MDCCLXI
AVREO . DIADEMATE . REDIMITA . ANNO . MDCCLXV
AERE . EXPRESSA . AN. SAECVLARI . MDCCCLXI *

* ROMAE SVB IMAGINE.

CCXXIII.

PHILIPPVS . MARTINVCCIVS . ARCHITECTVS . EQ.
CVIVS . INGENIO . SACELLVM . HOC . EDVCTVM . EST
LOCVM . SEPVLCRI
SIBI . ET . SVIS . COMPARAVIT
AN. MDCCCLXII *

* ROMAE AD IOANNIS ET PAVLI MARTYRVM CHRISTI.

CCXXIV. *

QVOD . REI . PVBLICAE . BENE . VERTAT
AN. MDCCCLIX
IVSSV . AVSPICIOQVE
D. N. PII . PONT. MAX.
OPTIMI . ET . SAPIENTISSIMI . PRINCIPIS
CVSTODIAE . PVBLICAE
CELLIS . VIRITIM . DISTRIBVTIS
AD . VALETVDINEM . MORESQVE . TVENDOS
INCOHATA . MOLITIO
CVRAM . AGENTE . ANDREA . PILA . COM.
MODERATORE . MVNERVM . PVBLICORVM
LAPIDEM . AVSPICALEM . RITE . DEMISIT
IOANNES . BAPTISTA . ARNALDI . ANTISTES . SPOLETIN.
ADSTANTIBVS
PRAEFECTO . PROVINCIAE
MAGISTRATV
CIVITATIS . N. ORDINIBVS

* SPOLETI.

CCXXV.

CAROLO . CACCIAE . DOMINIONI . COM.
EPISCOPO . FAMAE . AVGVSTAE
VICE . SACRA . ANTISTITI . MEDIOLANENSIVM
CVIVS . INVICTAE . VIRTVTI
ACCEPTA . REFERENDA . SVNT
ECCLESIAE . IVRA . AB . EXTERNIS . ET . INTESTINIS
HOSTIBVS . VINDICATA
ROMANAE . SEDIS . CAVSA . ADSERTA
ANIMVS . OPTIMIS . CIVIBVS . ET . CLERO . ADDITVS
SACERDOTES . MEDIOLANENSES
ROMAE . ADSTANTES . SACRIS . SOLEMNIBVS . SANCTORVM . NOVENSILIVM
DONO . DANT
SIGNVM . ARGENTEVM . PETRI . PRINCIPIS . APOSTOLORVM
DIE . FESTO . PENTECOSTES
AN. MDCCCLXII *

* IN BASI SIGNI ARGENTEI.

CCXXVI.

AVE . CONIVX . FIDISSIMA . ET . VIVE . IN . DEO
DOMINICVS . CORDESCHIVS
POSVI
ROSAE . TOSTIAE
QVACVM . CONCORDISSIME . EXEGI . ANNOS . V.
TVA . IN . DEVM . PIETAS
TVA . MORBO . DIVTVRNO . PERSPECTA . VIRTVS
CAELESTEM . TIBI . DOMVM . RECLVSIT
III . IDVS . NOVEMBRES . AN. MDCCCLXI *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCXXVII.*

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
TRANSLATIS . CINERIBVS
IOACHIMVS . VENTVRA . CLERIC. REG.
CVIVS . ELOQVENTIA . LIBRIS . COMMISSA
ERVDIT . POSTERITATEM
NATVS . PANORMI . VI . IDVS . DEC. AN. MDCCXCII
DECESS. LVTETIAE . POSTRID. KAL. SEXT. AN. MDCCCLX

* ROMAE: SED FRVSTRA.

CCXXVIII.

A ☧ Ω

MARIAE . PETRVCCIAE
VIRGINI
PATRICIA . TIBVRTIVM . NOBILITATE
QVAE . MORVM . INTEGRITATEM . STVDIO . ORANDI . AVXIT
PAVPERES . OPIBVS . ET . CHRISTIANIS . PRAECEPTIONIBVS . PAVIT
ABREPTA . EST . POSTR. KAL. NOV. AN. MDCCCLXII.
ANNOS . NATA . XVII . MENS. I. DI. XXI.
VINCENTIVS . ET . CATHERINE . SALVIA
POSVERVNT
FILIOLAE . INTEGERRIMAE
QVAM . PLVS . OCVLIS . SVIS . AMARVNT
VALE . ET . VIVE . IN . DEO
MARIA
TE . SOCIA . GAVDET . CHORVS . CAELESTIVM *

* TIBVRE IN AEDE SACRA SOCIETATIS IESV.

CCXXIX.

A ☧ Ω

HEIC . APVD . ANNAM . MARIAM . MATREM
COMPOSITVS . EST
PIVS . CERIGA
SPECTATAE . RELIGIONIS . ET . FIDEI
QVI . INGENIVM . ET . IVRIS . SCIENTIAM
IN . PAVPERVM . VINDICANDA . IVRA
CONTVLIT
EXITV . IMPROVISO . DECESS. XIII . KAL. IVN. AN. MDCCCLXII
PRIDIE . REFECTVS . EPVLO . CAELESTI
ANNVM . AGEBAT . LIV
VINCENTIVS . FRATER . CVM . LACRIMIS . P. *

* ALETRII IN AEDE SACRA PATRVM-CAPVLATORVM S. FRANCISCI.

CCXXX.

Α ☧ Ω

HEIC . APVD . MARCVM . MASTROFINIVM
AVVNCVLVM . SVVM
CONDI . VOLVIT
LEANDER . CIVFFA
COMPITENSIS
ANTISTES . S. IVONIS . CAVSIS . PAVPERVM . AGENDIS
PRAESES . COLLEGIO . IVDICVM . LITIBVS . DEFINIENDIS
QVEM . INGENII . ACIES . IVRIS . SCIENTIA
DICENDI . FACVLTAS
PRINCIPEM . PATRONORVM . CONSTITVIT
CVIVS . FAMAM . AVXERE
PIETATIS . STVDIVM . VITAE . INTEGRITAS
PERSPECTA . FIDES . ERGA . PONTIFICES . MAXIMOS
EXITV . IMPROVISO . AT . NON . IMPARATVS
CVM . SE . OCTO . DIERVM . SECESSV
APVD . SODALES . SOCIETATIS . IESV . IN . EXQVILIIS
IN . CAELESTIVM . RERVM . COMMENTATIONE . EXERCVISSET
DECESSIT . XI . KAL. FEBR. AN. MDCCCLXII.
ANNOS . NATVS . LXVIII.
FRATRIS . FILII
POSVERE
PATRVO . SANCTISSIMO *

* AD S. SILVESTRI IN COLLIBVS TVSCVLANIS.

CCXXXI.

A ☧ Ω

HEIC . COMPOSITVS . CVM . BINIS . INFANTVLIS
QVOS . CAELO . PRAEMISIT
QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
VINCENTIVS . ONOFRIVS . COMES
DOMO . S. GINESIO . IN . PICENO
CVIVS . ANIMVS . TEMPORVM . DIFFICVLTATE . SPECTATVS
IN . DEVM . IN . REM . CHRISTIANAM
CLARIVS . ENITVIT
DECESS. V . KAL. NOV. AN. MDCCCLXII.
ANNOS . NATVS . XXX . MENS. X . D. X.
VIRGINIA . GIBERTIA . MISSINIA
POSVIT . VIRO . CONCORDISSIMO
AVE . ET . VIVE . IN . DEO
VINCENTI
NVLLA . DIES . ME . TVI . IMMEMOREM
CONSPICIET *

* URBEVETERE: Procopius libro 2 de Bello Gothico cap. 20 Urbiventum, Paulus vero Diaconus De Rebus Langobardorum lib. 7 cap. 33 Urbem veterem nuncupat. Qui hanc urbem antiquo Herbani aut Oropiti nomine dicunt, vereor ne suam historiae monumentis mentem tueri queant.

CCXXXII.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . NOMINI
MARGHERITAE . ARCHANGELIAE
FEMINAE . PIENTISSIMAE
DECES. X . KAL. APR. AN. MDCCCLXI.
AN. NAT. LIX . M. VII . D. XXII.
THOMAS . MARTINIVS . I. C. CVM . FILIA . MARIA . ANNA
POSVIT . VXORI . CONCORDISSIMAE
AVE . MARGARITA . ET . VIVE . IN . DEO
MEMOR. TVORVM *

* ROMAE.

CCXXXIII.

Α ☧ Ω

VINCENTIO . IOANNIS . F. LATINIO
DOMO . COLLEALTO . IN . SABINIS
ACADEMICO . LYNCEO
QVEM . CHYMIAE . ET . MEDICAMENTARIAE . ARTIS . SCIENTIA
DOCTOREM . IN . ATHENAEO . MAGNO . ROMANO . HABVIT
COLLEGIVM . PHARMACOPOLARVM
POSVIT
SODALI . BENEMERENTI
DECESS. III . NONAS . IVN. AN. MDCCCLXII.
ANNOS . NATVS . LVIII. *

* ROMAE AD S. LAVRENTII IN FORO BOARIO.

CCXXXIV.

A • ☧ Ω

CINERIBVS . ET . MEMORIAE
PETRI . IOAN. BAPTISTAE . F. PICCOLOMINI . FEBEI . COMITIS
PATRICIA . NOBILITATE . AB . AVIS . ET . MAIORIBVS
DOMO . VRBEVETERE
CVIVS . PRVDENTIAM . PRAEFECTVRA . MVNICIPII
PROPOSITVM . DIFFICVLTAS . TEMPORVM
SOLLERTIAM . RES . FAMILIARIS . PROBAVIT
DIEM . OBIIT . V . KAL. APRIL. AN. MDCCCLX.
ANNVM . AGENS . LVII . MENS. III . D. XXVI.
MARIA . FRANCISCA . ALDEGONDA
POSVERVNT . CVM . LACRIMIS
PATRI . OPTIMO . INCOMPARABILI
LOCO . SEPVLTVRAE . COMPARATO
H. S. E. H. N. S. *

* ROMAE IN AEDE D. N. IESV.

CCXXXV.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
BONAVENTVRA . ORFEIVS . COMES . I. C.
DOMO . BALNEOREGIO . IN . HETRVRIA
PAVPERIBVS . IN . CRIMEN . VOCATIS . PATRONVS
SPECTATAE . RELIGIONIS
DECESS. V . KAL. APRIL. AN. MDCCCLXI . AN. NAT. LXXV.
HENRICA . DIONISIA
QVOD . SIBI . AB . ILLO . FIERI . PRAEOPTAVERAT
POSVIT
VIRO . CONCORDISSIMO . ET . SIBI *

* ROMAE.

CCXXXVI.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . NOMINI
MARCI . MASTROFINI
COMPITENSIS . APVD . TVSCVLVM
SACERDOTIS
CVIVS . INGENII . VIM
VOLVMINA . IN . VVLGVS . EDITA . PRODVNT
NOVVM . ITER . INQVIRENDAE . VERITATIS . INGRESSVS
DE . DEO . DE . TRINITATE . AVGVSTA
DE . ANIMA
DE . MVTVIS . PECVNIIS
DISSERVIT
ITALO . SERMONI . NE . LIBERIVS . VAGARET
LEGES . EDIXIT
GRAECA . IN . LATINVM . TRANSTVLIT
PIVS . VIXIT . ANNOS . LXXXII.
DIEM . SVPREMVM . OBIIT . V . NON . MART. MDCCCXLV.
DOCTRINAM . MODESTIA . MODESTIAM . HONORVM . CONTEMPTV
ORNAVIT
NEPOTES . EX . SORORE
TANTAE . VIRTVTIS . MEMORES
P. *

* AD S. SILVESTRI IN COLLIBVS TVSCVLANIS.

CCXXXVII.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . NOMINI
THOMAE . MOSSI
DOMO . CAMBIANO . IN . SVBALPINIS
E . CISTERCIENSIVM . FAMILIA . ABBATIS
QVI . IN . PRAEFECTVRA . ORDINIS
CONSTANTIAM . ET . ANIMI . DEMISSIONEM
PRAE . SE . TVLIT
CVRIO . HVIC . ECCLESIAE . PRAEFVIT . AN. XXXVII.
DEVM . PRECIBVS . HOMINES . BENEFICIIS
SIBI . DEMERVIT
EGENTES . AEGROS . AERVMNOSOS . OMNI . OPE
LEVAVIT
PIE . DECESSIT . POSTR. IDVS . DECEMBRES . AN. MDCCCLXI.
ANNOS . NATVS . LXXXIII . MENS. XI . D. XXII.
LVCIANVS . BONAPARTE . PRINCEPS
EX . ANTISTITIBVS . DOMVS . PONTIFICIAE
POSVIT
SENI . SANCTISSIMO
OPTIME . DE . SE . MERITO *

* ROMAE AD S. BERNARDI APUD THERMAS DIOCLETIANI.

CCXXXVIII.

NICOLAO . PARACCIANIO . CLARELLIO
CARD. PRAEFECTO . SACRO . CONSILIO
EPISCOPORVM . ET . SODALIVM . RELIGIOSORVM
CAVSIS . IVDICANDIS
CVIVS . STVDIO . ET . SAPIENTIA
COLLEGIVM . SVRDIS . MVTIS . INSTITVENDIS
LEGVM . ET . DISCIPLINAE . CONSTITVTIONE
CENSIBVS . AVCTIS . ET . CONFIRMATIS
CONCLAVIVM . ACCESSIONE . ET . CVLTV
REVIXIT
MODERATORES . ET . ALVMNI
PATRONO . BENEMERENTISSIMO
ANNO . MDCCCLXI. *

* ROMAE SVB SIGNO MARMOREO.

CCXXXIX.

A ☧ Ω

FRANCISCVS . IOANNIS . BAPTISTAE . CATELLI . F.
H. S. E.
VIR . FRVGI . RECTIQVE . TENAX
MVNERE . TABELLIONIS . ET . PRAEFECTI . TABVLARIO
APVD . CRVSTVMERIOS
AD . EXEMPLVM . FVNCTVS
PIE . DECESS. XVI. KAL. IVN. AN. MDCCCLXI.
ANNOS . NATVS . LXXVI . MENS. II. D. XXVII.
IOSEPHVS
PARENTI . OPTIMO
P *

* STILIANI IN SABINIS.

CCXL.

IOANNES . ZWYSEN . ARCHIEP. VLTRAIECT.
AEDES . ALVMNIS . IN . ECCLESIAE . SPEM . INSTITVENDIS
A . SOLO . EXCITAVIT
PIETATE . ET . MVNIFICENTIA
CLERI . ET . POPVLI
INQVE . CAROLI . BOROMEI . PATRONI . CAELESTIS
PRAESIDIO . ESSE . IVSSIT
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXII.
SACRI . PRINCIPATVS . PII . IX . PONT. MAX. AN. XVII.
AB . INSTAVRATA . HIERARCHIA . BATAVA. AN. IV.

* ULTRAIECTI IN FRONTE SACRI EPHEBEI.

CCXLI.

IOANNI . BAPTISTAE . PIANCIANIO . E . SO. IE.
LEGVM . CHYMICARVM . SCIENTISSIMO
QVAS . PRIOR. ROMAM . INVEXIT
ET . DOCVIT . ANNIS . XXX.
PRAESIDI
COLLEGII . PHILOSOPHICI . IN . MAGNO . ATHENAEO . LEONIANO
SODALI . XL. VIR . ITALOR.
DE . MOSAICA . COSMOGONIA . DE . PHILOSOPHICIS . DOCTRINIS
DE . DANTE . ALIGHERIO
EGREGIE . MERITO
ERVDITIONE . OMNIGENA . ET . MEMORIAE . VI . SINGVLARI
QVAS . DEMISSIONE . ANIMI . ET . MORVM . CANDORE . ORNAVIT
Θ . X . KAL. APRILES . A. MDCCCLXII. AN. NA. LXXVIII.
SODALES . COLLEGII . ROMANI
POSVERVNT
DECORI . ET . ORNAMENTO . AETATIS . SVAE *

* ROMAE IN COLLEGIO ROMANO SVB SIGNO: FRVSTRA.

CCXLII.

1.

TIBI . PIE . IX. PONTIFEX . MAXIME
SERTA . NON . PERITVRA
NECTET . POSTERITAS

CCXLIII.

2.

TE . CVSTODEM . ET . VINDICEM
DIVINI . ET . HVMANI . IVRIS
SPECTAT . ITALIA

CCXLIV.

3.

BENEFICENTIA . RECTEFACTIS
ORDINIS . HIERARCHICI . AMPLIFICATIONE
CHRISTIANI . NOMINIS . INCREMENTO
ANNOS . SACRI . PRINCIPATVS
NVMERAS

CCXLV.

4.

TE . REGNANTE

INSANAS . IMPIORVM . MINAS

ROMA . SPERNIT

CCXLVI.

5.

VIRGO . DEI . PARENS
LVCIDVM . CAELI . SIDVS
SI . TIBI
DECVS . CONCEPTVS . AB . ORIGINE . IMMACVLATI
PIVS . IX. PONTIFEX . MAXIMVS
SOLEMNI . DECRETO . ADSERVIT
TV . ILLI
ORBIS . CATHOLICI . VOTIS . EXPETITVM
TRIVMPHVM . LARGITOR *

* Tituli temporarii propositi in atrio aedis sacrae D. N. Mariae ab origine immaculatae, quae imminet colli Vallis Aureae apud Ariciam, v idus octobres anni MDCCCLXII; quo die Pius IX e sede Arcis Gandulphi, ubi rusticabatur, in hanc aedem se contulit, et rei divinae operatus pavit caelesti dape e nostra Societate iuvenes, qui theologiae dant operam, alumnos ephebei Americae Australis et Borealis, adolescentes e collegio Ghislerio, plurimosque, qui e citimis collibus affluxerant.

CCXLVII.

1.

HONORI . ET . VIRTVTI
ANDREAE . BIZZARRI . CARDINALIS
CIVIS . NOSTRI
PATRIAM . NOVO . HONORE . DECORANTIS

CCXLVIII.

2.

OB . ADVENTVM . FAVSTVM . FELICEM
ANDREAE . BIZZARRI
QVEM . PIVS . IX . P. M.
IVDEX . ET . FAVTOR . VIRTVTIS
IN . PATRVM . CARDINALIVM . SENATVM
COOPTAVIT *

* TITVLI TEMPORARII.
PALEANI IN HERNICIS AN. MDCCCLXIII

CCXLIX.

A ☧ Ω

HEIC . SITA . EST . IN . PACE . CHRISTI
ESTHER . IOSEPHI . ANTINORI . MARCH. F.
DOMO . PERVSIA
VXSOR . HANNIBALIS . ANGELINII . EQ.
DECES . NONIS . IANVARIIS . AN. MDCCCLXIII.
ANNOS . NATA . LII.
MARITVS . ET . IOSEPHA . MARINVS . SOPHIA . FILII
CVM . LACRIMIS
P. *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCL.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT
THERESIA . ALOISII . F. CESARIA
VXSOR . IOSEPHI . LANGELI
QVAE . PIETATIS . STVDIO . A. TENERIS . INCENSA
DOMVM . EXEMPLO . ET . CONSVETVDINE
AD . VIRTVTEM . EXCOLVIT
TABE . PECTORIS . ABSVMPTA . EST
BIDVO . KAL. NOV. A. MDCCCLXI.
ANNVM . AGENS . XXVII. MENS. VI. DI. XX.
MARITVS . CVM . LACRIMIS
POSVIT . CONIVGI . RARISSIMAE
AVE . THERESIA . ET . VIVE . IN . DEO *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCLI.

PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
ARCE . GANDVLPHI . VBI . RVSTICABATVR . DIGREDIENS
MILITES . GALLOBELGAS
HISCE . IN . AEDIBVS . AEGROTANTES
ASPECTV . ET . ALLOQVIO . RECREAVIT
VIII . EIDVS . OCTOBRES . AN. MDCCCLXII.
QVAE . PRINCIPIS . OPTIMI . HVMANITAS
NE . POSTEROS . LATERET
GAVDENTIVS . ET . PETRVSPAVLVS . TESTA . FRATRES
HAEC . DOMVI . SVAE . INSCRIPSERVNT

CCLII.

IOSEPHVS . CATVCCIVS . COMES
RVS . COEMPTO . PRAEDIO . LAXAVIT
MVRO . CLAVSIT
AQVAM . E . PROXIMI . MONTIS . SCATEBRIS
CORRIVATAM . DEDVXIT
AN. MDCCCLXII. *

* RVRE S. ANGELI AD NARNIAM.

CCLIII.

PHILIPPO . DEANGELIS
CARD. ARCHIEPISCOPO : ET . PRINCIPI . FIRMANO
SIGNVM . ARGENTEVM
PHILIPPI . MARTYRIS . EPISC. N.
QVI . CHRISTI . DEI . FIDEM
VOCE . ET . SANGVINE . DOCVIT . ASSERVIT
DONO . DAT
CLERVS . FIRMANVS
PASTORI . SVO . PROVIDO . INVICTO
AN. MDCCCLXII. IV. KAL. OCTOBRES
QVO . DIE . BIENNIO . ANTE . ABREPTVS . EST . IN . EXILIVM *

* IN BASI SIGNI ARGENTEI S. PHILIPPI M.

CCLIV.

AEDEM . MAGNAE . DEI . PARENTIS
IN . CAELVM . RECEPTAE
PATRONAE . ALVMERIENSIVM
A . SOLO . EXCITATAM . AN. MDCVIII.
CENSIBVS . ET . CVRIAE . IVRIBVS
A . BENEDICTO . XIV . AVCTAM . AN. MDCCLII.
ARA . PRINCIPE . DEDICATA . AN. MDCCLXXI.
PIVS . IX . PONT. MAX.
OPERIBVS . DEXTRA . LAEVAQVE
IN . OPPIDANORVM . COMMODA . PRODVCTIS
LAXAVIT . EXCOLVIT
AN. MDCCCLXI.
IOSEPHO . FERRARIO . ANT. VRB. PRAEFECTO . AERARII *

* IN AEDE SACRA ALVMERIARVM.

CCLV.

A ☧ Ω

HEIC . SITVS . EST
VINCENTIVS . SANTVCCIVS
DOMO . GVRGA . IN . VOLSCIS
CARD. DIACONVS . TITVLO . S. MARIAE . AD . MARTYRES
PRAEPOSITVS . SACRI . CONSILII . STVDIIS . REGENDIS
CVI . IN . REBVS . GERENDIS . SOLERTIA . INGENIVM . ET . LABOR
ADITVM . AD . HONORES . RECLVSIT
IIIVIR . PRAEFVIT . COETVI . EPISCOPORVM
IN . SANCIENDO . IMMACVLATO . CONCEPTV
MAGNAE . DEI . PARENTIS
APOPLEXI . DECESSIT . ALGIDI . QVO . RVSTICATVM . CONCESSERAT
X. KAL. SEPTEMBRES . AN. MDCCCLXI.
ANNOS . NATVS . LXV . MENS. VI.
IGNATIVS . ET . ALOISIVS
AGATHA . ET . THERESIA
FRATRI . CONCORDISSIMO
POSVERVNT *

* ROMAE IN PRINCIPE BASILICA LATERANENSI.

CCLVI.

A ☧ Ω

HEIC . APVD . PAVLVM . PATREM . QVIESCIT
ALOISIVS . COCVMELLIVS . SACERDOS
QVEM . FLORENTI . AETATE . PRAESIDEM . S. MARIAE . MAIORIS
MORIBVS . GRAVEM
STRENVVM . IN . VITIIS . ARGVENDIS
PACIS . SEQVESTREM . CIVES . SVSPEXERVNT
IN . PATRVM . CANONICORVM . AEDIS . PRINCIPIS
COLLEGIVM . COOPTATVS . DECESSIT
MAXIMO . CIVITATIS . ET . DOMVS . MOERORE
IV. KAL. FEBR. AN. MDCCCLXII.
NATVS . ANNOS . XXXIX.
ROSA . CVM . LACRIMIS
POSVIT
FILIO . SVAVISSIMO *

* FERENTINI IN HERNICIS.

CCLVII.

AGITE . HVC . ADESTE . PII . FREQVENTES
GRATIAS
DEO . VNI . TRINO . AETERNO
RITE . PERSOLVAMVS
SAECVLO . TERTIO . EXEVNTE
QVO . COLLEGII . N. PARVVLORVM . SODALITAS
PRAESIDIO . ET . NOMINE
GAVDET
MAGNAE . DEI . PARENTIS *

* IN COLLEGIO ROMANO TITVLVS TEMPORARIVS AN. MDCCCLXIII.

CCLVIII.

AN. CHR. MDCCCLXII.
SACELLVM . D. N. MARIAE . AB . ANGELO . SALVTATAE
ANTE . CVIVS . IMAGINEM . ALOISIVS . GONZAGA . SACERDOTI
AD . ARAM . OPERANTI . MINISTRABAT
INSTAVRATVM . NOVOQVE . CVLTV . ET . PICTVRIS . AVCTVM
STIPE . A . SODALIBVS . COLLATA *

* IN COLLEGIO ROMANO IN AEDICVLA SODALITII PARVVLORVM.

CCLIX.

A ☧ Ω

NVNTIATA . PETRIPAVLI . BIANCIARDI . F.
VXSOR . MARINI . DELLA . BITTA . I. C.
VIXIT . IN . EXEMPLVM . PIA . AN. XLV.
FILIOS . AD . VIRTVTEM . EDVXIT
PAVPERVM . AEGROTANTIVM . CVRAM
REBVS . SVIS . ANTETVLIT
GRAVIS . MORBI . VIM . AEQVO . ANIMO
TRIENNIVM . PERPESSA
DIEM . SVVM . OBIVIT . III. NON . DEC. A. MDCCCLXII.
MARITVS . ET . FILII
MARIVS . AVGVSTVS . CLOTILDE
CVM . LACRIMIS . POSVERVNT *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCLX.

BVLGARIS
IN . FIDEI . CONCORDIAM
A . PIO . IX. PONTIFICE . MAXIMO
RECEPTIS
ROMANI
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXI. *

* IN PEDE SACRAE PYXIDIS.

CCLXI.

HEIC
CONQVIESCENS . IN . PACE . CHRISTI
GENS . BOLOGNETTIA . CENCIA
VITAM . IN . DEO . PERENNEM . EXPECTAT *

* IN SEPVLCRO COMMVNI.

CCLXII.

MARIA
MAGNA . DEI . PARENS
HORTVLVM
TVO . NOMINE . ET . PRAESIDIO
CONSITVM . TVERE
FLORES . CAELESTI . RORE . PERFVNDE
CVLTORIBVS
VIRES . ANIMVMQVE
MINISTRA
VT . INCEPTA . LAETVS . EXITVS
SECVNDET *

* Titulus inscriptus Ephemeridi, quam Hortulum Mariae nuncupant, an. MDCCCLXIII.

CCLXIII.

MARIAE . SANCTAE
CVSTODI
HORTVLI . MARIALIS
SE . SVOSQVE . LABORES
MAIO . EXEVNTE
DEDICANT . CVLTORES *

* TITVLVS LIBELLO EIDEM INSCRIPTVS.

CCLXIV.

MARIAE . SANCTAE . ADIVTRICI
CVI
AVXILIVM . REI . CHRISTIANAE . LABORANTI . COLLATVM
INSIGNE . NOMEN . INDIDIT
CVLTORES . HORTVLI . MARIALIS
COR . ARGENTEVM
NOSTRA . ET . SOCIORVM . RECONDENS . NOMINA
PONIMVS . LVBENTES
ET . DEDICAMVS
TV . VOLENS . PROPITIA . NOBIS . ADSIS
NOSTRAMQVE . IN . AGELLO . EXCOLENDO . ET . FLORIBVS
EDVCANDIS . OPERAM
BENE . IVVES
SI . OPIS . TVAE . NON . HVMANAE . LAVDIS . STVDIO
HOS . INIMVS . LABORES *

* TITVLVS INSCRIPTVS CORDI ARGENTEO.

CCLXV.

1.

PRIMOS
PVERORVM . ET . PVELLARVM
FLORES
DEO . OFFERT

CCLXVI.

2.

LEVIVM . NOXARVM
DOLORE
AD . SACERDOTIS . PEDES
LABITVR . EXANIMIS

CCLXVII.

3.

AMOREM
QVO . IN . DEVM . FERTVR
ALIT
CAELESTI . EPVLO

CCLXVIII.

4.

SALVE . ALOISI
PROPITIVS . E . CAELO . ADSIS
IVVENVM . COETVI
QVI
TE . COLIT . IMPENSE
TEQVE . GAVDET . PATRONO *

* ROMAE AD S. ROCHI, SVB PICTVRIS REFERENTIBVS VITAM S. ALOISII GONZAGAE.

CCLXIX.

5.

BENEDICTVS . XIII. PONTIFEX . MAXIMVS
ALOISIVM
PRAESTITEM . PVDORIS . ET . PATRONVM
IVVENTVTI . ATTRIBVIT *

* INIBI.

CCLXX.

PIVS . IX. PONTIFEX . MAXIMVS
AVCTOR . SCIENTIAE . AGRARIAE
IN . LYCEO . MAGNO . TRADENDAE
AGRVM . CVLTVRAE . EXPERIVNDAE . ATTRIBVIT
ANNO . MDCCCLXIII.
CAROLO . DE . REISACH . CARD. PRAEFECTO
SAC. CONSILII . STVDIIS . REGENDIS
LVDOVICO . DE . ALTERIIS . CARD. S. R. E. CAMERARIO
PRAESIDE . ATHENAEI *

REI . AGRARIAE
PROVEHENDAE **

PIVS . IX.
PONTIFEX . MAXIMVS **

* ROMAE IN SCHOLA AGRARIA.
** IN VTROQVE LATERE FRONTIS.

CCLXXI.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . NOMINI
IOANNIS . HEMERANI
DOMO . ROMA
QVI . DOMESTICAM . IN . AERE . CAELANDO
LAVDEM . A . MAIORIBVS . TRANSMISSAM
MORVM . SANCTITATE . CVSTODIA . RELIGIONIS
IN . PAVPERES . BENEFICENTIA . ORNAVIT
DECESSIT . IDIB. NOVEMBRIBVS . AN. MDCCCXLVI.
ANNOS . NATVS . LXXXIII. MENS. III. D. XVI.
MARIA . VERONICA
VNICA . GENTIS . SVAE . SVPERSTES
POSVIT
PARENTI . SVAVISSIMO *

* ROMAE.

CCLXXII.

A ☧ Ω

ANTONIO . MICHAELIS . F. BAMBOTIO
DOMO . OFFANEA . IN . PICENO
ANTISTITI . VRBANO
PRAEFECTO . CVSTODIIS . PVBLICIS . REGENDIS
VIRO . VIRTVTIS . ANTIQVAE
DECESSIT . XIII. KAL. FEBR. AN. MDCCCLXIII.
NATVS . ANNOS . LXXV.
MARIANNA . POSVIT
FRATRI . OPTIMO *

* ROMAE AD S. IOSEPHI VIA LONGA.

CCLXXIII.

AVSPICIIS . ET . NOMINE
PATRONORVM . CAELESTIVM
IOSEPHI . ET . VINCENTII . A . PAVLO
FAVSTA . PRECATIONE . PII . IX . P. M.
SODALITAS . IVVENVM . ARTIFICVM
CONSTITVTA . ALATIS . CASTRIS
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXII. *

* IN NVMISMATE. Quam urbem recentes scriptores Edimburgum dicunt, Ptolemaeus aliique veteres Alata Castra nuncuparunt.

CCLXXIV.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
FRANCISCVS . IACOBVS . CLEMENS
DOMO . CONFLVENTIBVS . AD . RHENVM
DOCTOR . DECVRIALIS . PHILOSOPHIAE . TRADENDAE
IN . ATHENAEO . MONASTERIENSI
FIDE . IN . DEVM . ET . PIETATE . EXIMIA
DECES . VI. KAL. MART. A. MDCCCLXII
ANNOS . NATVS . XLVI. *

* ROMAE IN AEDE SACRA D. N. IESV.

CCLXXV.

A ☧ Ω

BLANDINAE
IVLII . VERZAGLIAE . COM. F.
DOMO . CAESENA
QVAE . DEVM . FIDE
EGENOS . CARITATE
SVOS . CONCORDIAE . STVDIO . COMPLEXA
DECESSIT . V. KAL. SEXTILES . AN. MDCCCLXII.
ANNVM . AGENS . XLIII.
ANTONIVS . MANGELLIVS . COM. DOMO . FORO . LIVII
POSVIT .
VXSORI . FIDISSIMAE
QVACVM . EXEGIT . AN. XIX . SINGVLARI . VOLVNTATVM . CONSENSIONE
AVE . BLANDINA . SVAVISSIMA
VIVE . IN . DEO . MEMOR. TVI . CONIVGIS *

* ROMAE AD S. MARIAE A VICTORIA.

CCLXXVI.

A ☧ Ω

HEIC . MOERENTES . COMPOSVIMVS
ALFREDVM . FILIVM
DOMO . ERETO . IN . SABINIS
ANNO . XVI . EXACTO
MORIGERVM . PIVM
INGENIO . ACREM . LITTERIS . EXCVLTVM
PECTORIS . TABE . CONFECTVM
XIV . KAL. MARTIAS . AN. MDCCCLXII.
AVE . ALFREDE
ET . VIVE . IN . CHRISTO
MEMOR. TVORVM . PARENTVM
IACOBI . POLVERISI . ET . ADELAIDES . TIRATERRA *

* AEQVI FALISCI: hoc nomine designari urbem, quam Coloniam Iunoniam Faliscam discimus ex Frontino, auctor est Strabo: quidam Veios eam immerito nuncuparunt: vulgo Civitatem Castellanam appellant. Eretum vero in Sabinis respondet oppido Montis Rotundi.

CCLXXVII.

A ☧ Ω

ALOISIAE . GVILLELMIN
DOMO . LVTETIA
QVAE . FILIOLVM . PHILIPPVM . MENSIVM . IX.
ACERBO . FVNERE
XVI. KAL. MART. AN. MDCCCLIX. RAPTVM
SVBSECVTA . EST
IX. KAL. OCTOBRES . ANNI . MDCCCLIX.
ANNVM . AGENS . XXX.
AVGVSTVS . CONIVX
PETRVS . CASIMIRVS . CHEVREVX . PATER
ET . CONSANGVINEI
MOERENTES . POSVERVNT
AVETE . ALOISIA . ET . PHILIPPE
ET . VIVITE . IN . DEO

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCLXXVIII.

AN. MDCCCLXII.
V. IDVS . DECEMBRES
D. N. PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
AEDEM . HANC . SVBIIT
INSTAVRATIONEM . INSPEXIT . PROBAVIT
QVAM . PRINCIPIS . OPTIMI . HVMANITATEM
ANTONIVS . MATTEVCCIVS . PRAETOR . VRBIS
PRAEPOSITVS . REI . PICENORVM . ADMINISTRANDAE
NOTIS . MARMORI . INSCRIPTIS
POSTERITATI . COMMENDAVIT *

* ROMAE IN SACRARIO AEDIS D. N. MARIAE LAVRETANAE.

CCLXXIX.

ANNO . MDCCCLXII.
MARMORA . LITTERATA
IN . CONTINENTI . TEMPLO . CONSTITVTA
HOC . IN . CONCLAVE . TRANSLATA . SVNT
NE . NOVIS . OPERIBVS . LOCVM . PRAERIPERENT *

* ROMAE IN SACRARIO AEDIS SACRAE D. N. MARIAE LAVRETANAE.

CCLXXX.

AEDES . CHRISTO . DEO . SERVATORI . SACRA
A . LATINO . VRSINIO . CARD.
A . FVNDAMENTIS . EXCITATA . AN. MCCCCL.
ET . CANONICIS . IN . ALGA . ATTRIBVTA
POST . INCENDIVM . AN. MDXCI . AB . INCHOATO . EXSTRVCTA
A . GENTE . PICENA . CVM . PROXIMO . COENOBIO
COMPARATA . AN. MDCLXIX.
IN . HONOREM . D. N. MARIAE . LAVRETANAE . DEDICATA
ET . SOLEMNIBVS . CAEREMONIIS . SACRATA . NON . OCT. AN. MDCCXXXI.
AN. MDCCCLXII . AVSPICE . ET . AVCTORE . PIO . IX . P. M.
INSTAVRATA
PICTVRIS . PAVIMENTO . ORGANO . ARIS . REFECTIS
FRONTE . ADSTRVCTA
CVRAM . AGENTE . ANTONIO . MATTEVCCIO . ANT. VRB.
PRAEFECTO . VRBIS *

* ROMAE AD S. MARIAE LAVRETANAE PICENORVM: IN FRONTE MARMOREA AEDIS SACRAE HAEC INSCRIPSI.

D. N. MARIAE . LAVRETANAE . PATRONAE . PICENI

CCLXXXI.

A ☧ Ω

HEIC
SIBI . ET . SVIS . TVMVLVM
VIVENS . ELEGIT
ADVLPHVS . BOSCAINIVS . EQ.
DOMO . CENTVMCELLIS . CIVIS . ROMANVS
E . ROMANA . SOCIETATE . ISTHMO . SVESTIANO . INCIDENDO
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXII.
PRIOR . ILLATVS . EST . TRANSLATIS . CINERIBVS
IOANNES . CAROLVS . FILIVS . AN. NA. V.
Θ . III . IDVS . SEPTEMBRES . AN. MDCCCLII. *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCLXXXII.

MARIA . D. N. A. VIVARIO
A . REMOTIS . AETATIBVS . CVLTA
IN . AEDE . SACRA . PRINCIPE . TVSCVLANA
AERE . EXPRESSA
IMPENSIS . HIERONYMI . PETRII . EQ. TORQ.
AN . MDCCCLXII. *

* SVB IMAGINE.

CCLXXXIII.

PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS

A . SOLO . EXCITAVIT

ANNO . MDCCCLXII. *

* IN AEDIVM VATICANARVM LATERE AD MERIDIEM.

CCLXXXIV.

DEO . OPTIMO . MAXIMO
HEIC . VBI . B. BENEDICTVS . IOSEPHVS . LABRE
NOCTEM . IN . CAELESTIVM . CONTEMPLATIONE
TRADVXIT . HVMI . BREVEM . CARPENS . SOMNVM
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
AD . AVGENDAM . LOCI . RELIGIONEM
SACELLVM . DEDICARI . IVSSIT
ANNO . MDCCCLXIII. *

* SVB FORNICE AMPHITHEATRI FLAVII.

CCLXXXV.

COSMAE . CORSIO
CARDINALI . ARCHIEPISCOPO . PISARVM
EXIMIO . RELIGIONIS
PROPVGNATORI . ET . VINDICI
CVIVS
VIRTVS . PVLCHRIOR . AB . EXILIO
OPIMVM . DE . ECCLESIAE . HOSTIBVS . EGIT
TRIVMPHVM
LAVRENTIVS . MARIANIVS
E . CLERO . PISANO
ALVMNVS . ALMI . COLLEGII . CAPRANICENSIS
DISCEPTATIONEM
IN . ATHENAEO . ROMANO . SOCIETATIS . IESV
DE . VERBO . DEI . SCRIPTO . ET . TRADITO
ABSENTI . DEDICAT
SVORVM . AVCTORI . ET . FAVTORI . STVDIORVM *

* Inita est disceptatio XII Kalendas septembres anni MDCCCLX: quo anno vir clarissimus pulsus in exilium, Pisas omnium bonorum gratulatione et plausu remeavit. Laurentius vero Marianius paucis ab inita disceptatione elapsis diebus ingens ingenii et virtutis suae desiderium reliquit, annos natus tres et viginti.

CCLXXXVI.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
PHILIPPVS . FERRAIOLIVS
DOMO . PRIVERNO . IN . VOLSCIS
PROBVS . FRVGI . TENAX . RECTI
IN . FILIIS . AD . VIRTVTEM
INSTITVENDIS . SOLERS
VIXIT . IN . EXEMPLVM . PIVS . ANNOS . LXXVIII.
DECESS. XIV . KAL. SEPT. AN. MDCCCL.
MORIENS . PVELLIS . PRIVERNATIBVS . PAVPERIBVS
DC. NVM. S. DOTI . DIXIT
IOSEPHVS
POSVIT
PARENTI . OPTIMO *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCLXXXVII.

PHILIPPO . DE . ANGELIS
CARD. PONTIFICI . MAIORI . FIRMANO
IMPAVIDO . SACRI . GREGIS . CVSTODI
FIRMANA . PROVINCIA
OBSEQVII . ET . AMORIS
MNEMOSYNON
PARENTI . OPTATISSIMO *

* SVB SIGNO ARGENTEO S. MICHAELIS PRINCIPIS ANGELORVM : IN EXTREMA BASI LEGERE EST : AN. MDCCCLXII . XVIII. KAL. SEPTEMBRES.

CCLXXXVIII.

A ☧ Ω

HEIC . DORMIT . IN . PACE
TITVS . FRANCOIS
ANNOR. II . MENS. V.
QVI . EX . ANGINA . CONVALESCENS
REPENTE . OCCVBVIT . IN . SINV . MATRIS
XVI . KAL. FEBR. AN. MDCCCLXIII.
ACHILLES . ET . CAMILLA
POSVERVNT
FILIOLO . SVAVISSIMO
ADLECTO . INTER . CAELESTES *

* ROMAE IN AEDE S. MARIAE AD PACEM.

CCLXXXIX.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
ANGELA . PETRI . ZAPPATI . F.
DOMO . ROMA
QVAE . IOSEPHO . PINCHETTIO . VIRO . VIDVATA
VNICE . AMAVIT . CAELESTIA
DECESS. III. NON. SEPT. A. MDCCCXXXVII.
AN. NA. LXXII.
CCXXX . SACRA . QVOTANNIS
AD . ARAM . D. N. MARIAE . PERDOLENTIS
PERAGI . TESTAMENTO . IVSSIT *

* ROMAE AD THOMAE APOSTOLI VICO APPARITORVM.

CCXC.

A ☧ Ω

HEIC . CONDITVS . EST
TRANSLATIS . CINERIBVS
HIPPOLYTVS . VINCENTIVS . MARERIVS
QVEM . HISPANA . LEGATIONE . FVNCTVM
PIVS . VI. IN . PATRVM . CARDINALIVM . SENATVM . ADLEGIT
DECESS. LVTETIAE . XII. KAL. APR. A. MDCCCXI.
AN. NATVS . LXXIII.
HYACINTHVS . SARDIVS
IN . GENTEM . VINCENTIAM . MARERIAM
ADSCITVS
MONVMENTVM . P.
AN. MDCCCLXII. *

* REATE IN AEDE PRINCIPE (frustra).

CCXCI.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
ALOISIVS . MATVRIVS
ARCHIPRESBYTER . CERRETI . IN . SABINIS
QVI . INCOHATAM . A . IOANNE . SACERDOTE . PATRVO
HVIVS . SACELLI . INSTAVRATIONEM . ABSOLVIT
EIQVE . OMNIA . SVA . TESTAMENTO . TRANSMISIT
PIE . DECESS. VII. IDVS . OCTOBR. AN. MDCCCLVI.
ANNOS . NATVS . LXI.
AVE . ET . VIVE . IN . DEO
SACERDOS . CASTISSIME
TIBI . CHRISTVS . IESVS . AETERNA . PRAEMIA . REPENDAT *

* GIRANI APVD SVBLAQVEVM. In chronico Sublacensi legere est Giranum, et Cerretum. Murat. Scr. Rer. Ital. tom. XXIV.

CCXCII.

A ☧ Ω

ILLVMINATO . IOANNIS . F. SALVVCCIO
CVIVS . IN . MEDICINA . FACIENDA . SOLERTIAM
CAPRANICENSES . ET . VINEANELLIENSES
IN . PROVINCIA . VITERBIENSI
SVNT . EXPERTI
DECESS. VI. KAL. MARTIAS . AN. MDCCCLXII.
ANNOS . NA. LXII.
LAVRA . CHERVBINIA . VXSOR
CVM . LACRYMIS . POSVIT *

* IN PROVINCIA VITERBIENSI.

CCXCIII.

TIBI . HENRICE . PATER
LVX . HAEC
TVO . NOMINE . GAVDENS
CANDIDIOR . SEMPER . REDEAT
SECVNDIS . ET . REBVS
AFFLVAT *

* Titulus temporarius in Romano Nobilium Collegio, cui P. Henricus Vasco e Societate Iesu moderabatur: idibus quintilibus anni MDCCCLXI.

CCXCIV.

DEO . VNI . TRINO . AETERNO
CVIVS
PRAESENTI . NVMINE . ET . OPE
PIVS . IX.
PONTIFEX . MAXIMVS
IMPIORVM . MOLITIONIBVS . EVERSIS
REM . CHRISTIANAM
INVICTO . DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS . ANIMO
MODERATVR
DOCTRINAS . LITTERAS . ARTES . PROVEHIT
AEDES . SACRAS . CVLTV . AVGVSTIORE . INSTAVRAT
VRBEM . NOVIS . OPERIBVS . ORNAT
COLLEGIA . IN . ECCLESIAE . SPEM . IVVENTVTI . EXCITAT
ORDO . ET . POPVLVS . ROMANVS
GRATIAS . PERSOLVIT
AVCTORI . FAVSTITATIS . PVBLICAE
CVSTODI . ET . VINDICI
PONTIFICIAE . MAIESTATIS *

* Titulus temporarius Romae in aede sacra XII Apostolorum VII idus decembres an. MDCCCLXII.

CCXCV.

PIO . IX . PONTIFICI . MAXIMO
CVSTODI . ET . VINDICI . IVRIVM . ECCLESIAE
CODICEM . DE . ROMANI . PONTIFICIS . ELECTIONE
A . CAESARE . NVPTIO . FOROSEMPRONIENSI . I. C.
EXARATVM . ET . S. PIO . V . P. M. OBLATVM
DONO . DAT
BENIAMINVS . CASALEVS
DEVOTVS . NOMINI . ET . MAIESTATI . EIVS *

* TITVLVS INSCRIPTVS EXTERNE VOLVMINI.

CCXCVI.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . NOMINI
IOSEPHAE . CAMILLI . DE . MAXIMIS . DYNASTAE . ROMANI . F.
VXSORIS . OCTAVII . LANCELLOTTI . DYNASTAE . LAVRI
IN . REGNO . NEAPOLIT.
FEMINAE . SPECTATISSIMAE
ADLECTAE . INTER . MATRONAS . AVLAE . LVSITANAE
QVAE . EVANGELII . VIRTVTES
HVMANITATE . ET . LITTERARVM . CVLTV . ORNAVIT
EGENOS . ET . AEGROTOS . PERPETVIS . SVBSIDIIS . LEVAVIT
NEAPOLI . LVE . ASIANA . CORREPTIS
SVI . IMMEMOR. ADFVIT
ROMAE . PVELLAS . EADEM . LVE . PARENTIBVS . ORBATAS
INSTITVENDAS . CVRAVIT
ARTIFICES . PAVPERCVLOS . OPERIBVS . IMPERATIS
DOMIQVE . SVAE . ADSERVANDIS . IVVIT
PRAESES . PEREGRINIS . IN . XENODOCHIO
TRINITATIS . AVGVSTAE . EXCIPIENDIS
ET . DOCTRINAE . CATHOLICAE . IN . CVRIA . TRADENDAE
SODALES . VOCE . ET . EXEMPLO . AD . SOLERTIAM . EREXIT
DECESS. XIII . KAL. APRIL. AN. MDCCCLXII.
ANNOS . NATA . LXIII.
SEQVE . APVD . CONIVGEM . IN . AVITO . HYPOGAEO
AD . ARAM . ALOISII . GONZAGAE . CONDI . IVSSIT
PHILIPPVS . DE . MAXIMIS . QVI . ET . LANCELLOTTVS . HERES
ET . ANTONIVS . BEZZIVS . COMES . CVRATOR . TESTAMENTI
POSVERVNT *

* ROMAE IN AEDE PRINCIPE LATERANENSI.

CCXCVII.

A ☧ Ω

HEIC . DORMIT . IN . PACE . CHRISTI
HELENILLA
MENSIVM . X . D. XV. HOR. VII.
BELLVLA . FESTIVA . SVAVE . ARRIDENS
NVLLAS . LACRIMVLAS . EDIDIT . NVLLOS . GEMITVS
CHORIS . CAELESTIVM . INSERTA
V . KAL. OCTOBRES . AN. MDCCCLXIII.
VALTHERVS . FITH-IAMES
POSVIT
FILIOLAE . DELICIO . SVO *

* RVRE IN SACELLO APVD LONDINVM. In titulis christianis III et IV saeculi memorantur et horae praeter dies et menses.

CCXCVIII.

XVII . KAL. IVN. AN. MDCCCLXIII.
D. N. PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
MVNICIPII . N. AEDES . INSTAVRATAS . SVBIIT
CIVIVM . FIDEM . ERGA . ROMANOS . PONTIFICES
IMMOTAM . COMMENDAVIT
CONFERTISSIMAE . MVLTITVDINI . EX . HOC . MOENIANO
BENE . PRECATVS . EST
AQVAM . GVARCENIAM . SALVBRIS . HAVSTVS
IN . VRBEM . N. DEDVCENDAM . EDIXIT
PHILIPPO . DE . CESARIS . EQ. PRAEFECTO . MVNICIPII *

* ALETRII IN FRONTE AEDIVM PVBLICARVM.

CCXCIX.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
VICTORIVS . ALOISII . ROBOREI . MARCH. F.
CASALENSIS . IN . INSVBRIA
EX . AMPLISSIMA . GENTE . SIXTI . IV . ET . IVLII . II.
SACERDOS
QVI . INGENIVM . AD . CHYMIAM . CONTVLIT
PIVS . VIXIT . AN. LI.
DECESS. PRID. KAL. MART. AN. MDCCCLXIII.
FRIDERICVS . ALEXANDER . VIRGINIA
POSVERVNT . FRATRI . OPTIMO *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCC.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI
QVIESCIT
BARTHOLOMAEVS . PACCA
DOMO . BENEVENTO
CARD. EP. OSTIEN.
INGENIO . ERVDITIONE . SCRIPTIS
FAMAM . POSTERITATIS . ADEPTVS
RELIGIONIS . IVRA
IN . LEGATIONE . COLONIENSI . ET . LVSITANA
ASSERVIT
PIO . VII . P. M. A . PVBLICIS . NEGOTIIS . ADFVIT
CVM . EO . IN . EXILIVM . ABREPTVS
CARCERIS . SQVALOREM . QVADRIENNIO . TVLIT
DECESS. XIII . KAL. MAIAS . AN. MDCCCXLIV.
ANNOS . NATVS . LXXXVIII.
BARTHOLOMAEVS . PACCA . ANTISTES . DOMVS . PONTIF.
AB . ADMISSIONIBVS . PII . IX . P. M.
POSVIT
PATRVO . MAGNO *

* ROMAE AD S. MARIAE IN PORTICV.

CCCI.

PETRO . OTTANIO
PROBO . INTERGERRIMO
QVI . MEDENDI . ARTEM
IN . EGENORVM . LEVAMEN . CONTVLIT
SVBITA . VI . MORBI . ABREPTO
III . KAL . IVNIAS
PACEM . CAELESTEM
ADPRECAMINOR *

* ROMAE TITVLVS TEMPORARIVS IN FRONTE AEDIS S. ROCHI.

CCCII.

LAPIS . AVSPICALIS . COLLEGII . ARLVNENSIS . SOC. IE.
FAVSTA . PRECATIONE . LVSTRATVS . ROMAE
A. D. N. PIO . IX. PONT. MAX.
X. KAL. SEXST. AN. MDCCCLXIII. *

* IN BELGIO.

CCCIII.

AN. MDCCCLXII.
XI. KAL. NOVEMBRES
FRANCISCVS . II. NEAPOLIS . ET . SICILIAE . REX
CVM . ALPHONSO . FRATRE
REGNO . VI . ET . FRAVDE . SCELESTORVM . EXTORRIS
ALBANO . VBI . RVSTICABATVR . DIGRESSVS
NOSTRAS . AEDES . SVBIIT
HEIC . DISCVMBERE . NON . RENVIT
HVMANITATE . ET . ALLOQVIO . DIGNATVS
SODALES . A . PASSIONE . D. N. IESV
A . SE . ET . FERDINANDO . II. PATRE
DOMICILIIS . IN . NEAPOLITANIS . PROVINCIIS . AVCTOS *

* In vertice montis albani, ubi surgebat templum et ara Jovi Latiali : nunc vero melioribus auspiciis sacra aedes excitata est Christo Deo, et concredita Sodalibus a Passione Domini Nostri Jesu: (frustra).

CCCIV.

1.

(In fronte aedis sacrae)

ANTONIO . BRESCIANIO
PACEM . CAELESTEM . ADPRECATA
ROMANA . IVVENTVS
IVSTA . PERSOLVIT *

* TITVLI FVNEBRES AD LAVRENTII MARTYRIS IN AEDIBVS LVCINAE III. NONAS APRILES AN. MDCCCLXII.

CCCV.

2.

HALAE . IN . TRIDENTINIS
LEONARDO . A . BVRSA . ET . VICTORIA . ALBERTIA . FREGOSO . COM.
NATVS . IX . KALENDAS . SEXTILES . AN. MDCCXCVIII.
INGENIO . AETATEM . PRAEVERTENS
RHETORICEN . VERONENSES . DOCVIT
QVORVM . ANIMOS . SACERDOTIO . AVCTVS
AD . PIETATEM
EFFINXIT

CCCVI.

3.

HVMANIS . DIVINA . ANTEFERENS
NOBILI . FVGA . A . SVIS . DIGRESSVS
SOCIETATEM . IESV
INIIT . ROMAE
XII . KALENDAS . DECEMBRES . AN. MDCCCXXIV.

CCCVII.

4.

COLLEGIIS . MODERANDIS . PRAEFECTVS
LITTERARVM . ET . PIETATIS . STVDIA
FOVIT
DISCENTIVM . INGENIA
ALVIT . EXERCVIT
PAVPERCVLOS . NE . A . DOCTRINIS . ABSTRAHERENTVR
INOPIA . LEVAVIT

CCCVIII.

5.

AVCTORE . ET . MAGISTRO
ANTONIO . CESARIO
ITALI . SERMONIS . VIM . ET . PROPRIVM . DECVS
PVRIS . E . FONTIBVS . HAVSIT
EOQVE . MONSTRANTE . VIAM
MENTEM . AD . SCRIBENDVM
APPVLIT

CCCIX.

6.

STILI . VENVSTATE . ET . LEPORE
ANIMVM . LEGENTIVM . TENVIT . QVO . VOLVIT . DVXIT
VRBES . RVRA . AEDES
CARCERES . CONVIVIA . PVGNAS
HOMINVM . INGENIA
FESTIVE . DESCRIPSIT
VERIS . FICTA . REMISCENS
VIVAS . SPIRANTESQVE . FORMAS . REBVS
INDIDIT

CCCX.

7.

SARDINIAE
MONVMENTA . PRIMOSQVE . ADVENAS
FELICI . VESTIGATIONE . RETEXIT
TELLVRIS . INGENIVM . FOETVS
SACROS . ET . CIVILES . VSVS
A . REMOTIS . AETATIBVS
EST . PERSEQVVTVS

CCCXI.

8.

PONTIFICIS . MAXIMI
CAVSAM . STRENVE . EGIT
ANIMOS . AD . EAM . TVTANDAM . ADDIDIT
PVLCRVM . PRO . PETRI . SEDE
EMORI . IN . ARMIS
EDOCVIT

CCCXII.

9.

IMPIORVM . FRAVDES . ET . CAECA . MOLIMINA
IN . LVCEM . EDVXIT
IVVENES . ADMONITV . ET . EXEMPLIS
NE . IRRETIRENTVR
CONTINVIT

CCCXIII.

10.

QVAE . PVELLARI . INSTITVTIONI
OFFICIANT
QVAE . PVDORI . ILLECEBRAE
QVAE . TECHNAE
STRVANTVR
EDIXIT
PARENTVM . STVDIA . VT . ADVIGILARENT
COMMOVIT

CCCXIV.

II.

ANIMI . DEMISSIONE . MORVM . CANDORE
VRBANA . FACILITATE
INANIVM . LAVDVM . CONTEMPTV
INVIDIAM . DEVICIT
RELIGIONIS . HOSTES . VIRTVTIBVS . DELINITI
VENVSTATEM . SCRIBENDI . DEMIRATI
EIVS . FAMAE . PEPERCERVNT

CCCXV.

12.

DEVM . DILEXIT . VNICE
DIVINAE . GLORIAE . QVA . POTVIT . OPE
PROVEHENDAE . STVDVIT
OPTIMATES . PLEBECVLAM . MILITES . MVLIERCVLAS
DEO . LVCRARI
SCRIPTIS . CONSILIO . COLLOQVIIS
SATEGIT
VACVVM . A . SCRIBENDO . TEMPVS
IN . ANIMOS . AD . PIETATEM . EXCOLENDOS
CONTVLIT

CCCXVI.

13.

PESTIFERA . LVE . AFFLATIS
OPEM . FERENS . AN. MDCCCXXXV.
VIRVS . PRAECORDIIS . ET . ABDOMINE . EBIBIT
QVO . CRVDESCENTE . ET . REMITTENTE . TENTATVS
ACRIVS . ERVMPENTE
ABSVMITVR
PRIDIE . EIDVS . MARTIAS . AN. MDCCCLXII.

CCCXVII.

14.

AVE . ET . VIVE . IN . CHRISTO
PATER . SVAVISSIME . ET . OPTIME
VALE
SVASOR . ET . MAGISTER
VIRTVTIS
TVVM . NOMEN . GRATA . RECOLET
IVVENTVS . ITALA

CCCXVIII.

I.

LAZARO . A . GARZA
ARCHIEPISCOPO . MEXICI
QVEM
A . VICTRICE . PERDVELLIVM . MANV
ACTVM . IN . EXSILIVM
ET . ROMAM . PETENTEM
MORS . BARCINONE . INTERCEPIT
V . IDVS . MARTIAS . AN. MDCCCLXII.
IVSTA . FVNEBRIA
INSTAVRAT
IOSEPHVS . BASILIVS . GVERRA . MEXIC. EQ.
INVICTO . REI . CHRISTIANAE . PROPVGNATORI *

* ROMAE IN FRONTE AEDIS SACRAE. TITVLI FVNEBRES ad Eustachii martyris in parentalibus LAZARI A GARZA Archiepiscopi Mexicani III. nonas iunias anni MDCCCLXII.

CCCXIX.

2.

IVS . PONTIFICIVM
IN . ATHENAEO . MEXICANO
EXIMIA . DOCTRINAE . LAVDE
DOCET
ANCIPITES . LEGVM . SACRARVM . QVAESTIONES
IN . AMERICAE . REGIONIBVS . ORTAS
SAPIENTER . EXPEDIT *

* IN MOLE FVNEBRI.

CCCXX.

3.

SONORAE . PONTIFICATV
AVCTVS . AN. MDCCCXXXVII.
AD . MEXICANAM . SEDEM
EVECTVS . AN. MDCCCL.
PASTORIS . SEDVLI . MVNVS . OBIT
ERRORES . REVELLIT
VITIORVM . VETERNVM . DISCVTIT
AVITAE . FIDEI . EXEMPLA
REVOCAT

CCCXXI.

4.

ALVMNOS . IN . ECCLESIAE . SPEM
SANCTIORE . INSTITVIT . DISCIPLINA
SACRORVM . ADMINISTROS
MORVM . INTEGRITATE
ET . SCIENTIARVM . ORNAMENTIS
NITERE . IVBET

CCCXXII.

5.

CVLTV . PARCVS
CENSVS . OMNES
IN . ALENDOS . PAVPERES
IN . IVVENES . PROBE . INSTITVENDOS
IN . ARCENDA . PVDORIS . DISCRIMINA
IN . VIRGINVM . SACRARVM
INOPIAM . LEVANDAM
CONFERT

CCCXXIII.

6.

CORPVS . VIGILIIS . IEIVNIIS
VLTRA . VIRES . PRODVCTIS
CRVCIATIBVS . QVAESITIS
TORQVET
BREVEM . IN . ASSERIBVS . SOMNVM
CARPIT
ANNIS . MORBO . LABORIBVS . FRACTVS
AB . INSTITVTO . NON . ABSCEDIT

CCCXXIV.

7.

INGENII . ACIEM . DOCTRINAE . OPES
ANIMI . DEMISSIONE . OCCVLIT
HONORES . A . POPVLO . A . PRIMORIBVS
DOMI . FORISQVE . DELATOS
INFRA . SE . POSITOS . DVCIT

CCCXXV.

8.

CAELESTEM . CHRISTI . DOMINI
SAPIENTIAM
E . SACRIS . LITTERIS . HAVSTAM
INTENTO . ANIMO . RETRACTAT
REFERRE . MORIBVS . ET . VITA
STVDET

CCCXXVI.

9.

MAGNAE . DEI . MATRIS
PRAECONIA
CARMINIBVS . PERSEQVITVR
PIETATIS . IN . EAM . STVDIA
EDITIS . IN . VVLGVS . LIBELLIS
FOVET

CCCXXVII.

10.

PIVM . IX . PONTIFICEM . MAXIMVM
COLLATO . AVRO
IVVAT
PII . IX . CAVSA . IVRA . ECCLESIAE
CONTINERI . ASSEVERAT

CCCXXVIII.

II.

CVM . RELIGIONIS . HOSTIBVS
STRENVE . DIMICAT
LEGES . PRAVA . IVBENTES
OPPVGNAT

CCCXXIX.

12.

A . CARCERE . AB . EXSILIO
A . MORTIS . MINIS
VIRES . ANIMVMQVE . DVCIT
PALMAM . CAELESTEM
SPE . PRAECIPIT

CCCXXX.

13.

CONCREDITI . GREGIS . INCOLVMITATI
TOTVM . SE . DEVOVET
EXSVL . OMNI . CVRA . ADVIGILAT
MORIENS . MEXICANIS . SVIS . BENE . PRECATVS
EXITV . PLACIDISSIMO
DISCEDIT . E . VITA

CCCXXXI.

14.

PIETATE . LITTERIS . SAPIENTIA . AERVMNIS
INSIGNEM
STIPENDIA . CHRISTI
LXXVI . ANNIS . EMERITVM
BARCINONENSES
SOLEMNI . FVNERE
EFFERVNT
FIDEI . ATHLETAM
ET MEXICI . ATHANASIVM
PRAEDICANT

CCCXXXII.

15.

VIVAS . IN . CHRISTO
PATER . SANCTISSIME . ET . OPTIME
TVIS . DEVS . EXORATVS . PRECIBVS
PERDVELLIVM . TRIVMPHIS
METAS . ET . TEMPORA
PONAT

CCCXXXIII.

A ☧ Ω

SOPHIAE . CAROLINAE . HENRICAE . COPPENS
DOMO . GANDAVO
VIRGINI . A . CORDE . D. N. IESV
PAX . CAELESTIS . AFFVLGEAT
PIE . DECESS. IV . IDVS . IVLII . AN. MDCCCLIII.
ANNOS . NATA . LXV . M. V. D. XIII. *

* LVTETIAE PARISIORVM.

CCCXXXIV.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT
CATHERINE . FRANCISCA . HENRICA . AEMILIA . DE . CHARBONNEL
AB . INSSAC
QVAE . SOCIETATEM . VIRGINVM . A . CORDE . IESV . DEI
FLORENTI . AETATE . INGRESSA
EXEMPLO . ET . DISCIPLINAE . CVSTODIA
SOCIIS . PRAELVXIT
DECESSIT . XIV . KAL. SEPT. AN. MDCCCLVI.
ANNVM . AGENS . LXXX. M. IX . D. II.
TE . IN . PACE . CHRISTVS *

* LVTETIAE PARISIORVM.

CCCXXXV.

SOCIETAS . VIRGINVM . A . CORDE . D. N. IESV
HISCE . IN . AEDIBVS . QVAS . ANTEACTIS . AETATIBVS
SODALES . BERVLLIANI . COLVERVNT
INSTAVRATIS . NOVOQVE . CVLTV . AVCTIS
SVA . HABVIT . EXORDIA
PRIMISQVE . COMITIIS . RITE . OBITIS
XV . KAL. FEBR. AN. MDCCCVI.
ANTISTITAM . CVNCTIS . SVFFRAGIIS
PRAEFECIT . SOCIIS . VNIVERSIS
MAGDALENEM . ALOISIAM . SOPHIAM . BARAT
ADSTANTE . IOSEPHO . VARIN . E . SOCIETATE . IESV
DE . COETVS . N. INSTITVTIONE . EGREGIE . MERITO *

* AMBIANI IN GALLIA.

CCCXXXVI.

PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
VIRGINIBVS . A . CORDE . D. N. IESV . DEI
DONO . DEDIT
V. KAL. NOV. AN. MDCCCLXIII. *

* Titulus inscriptus volumini, in quo digestae sunt sanctorum imagines aere affabre expressae.

CCCXXXVII.

PETRE
APOSTOLORVM . PRINCEPS
TENVEM
QVAM . TIBI . CONTVLIMVS
TENVES . STIPEM
BENIGNVS . EXCIPE
ET . QVI . TE . TVOSQVE
AD . INCITAS . ADEGERVNT
FAC . MELIORA . SAPIANT
ET . DIVINA . NOBISCVM *
ECCLESIAE . IVRA . TVEANTVR *

* IN EPHEMERIDE CATHOLICA TICINENSI PRIDIE KAL. QVINTILES AN. MDCCCLXIV.

CCCXXXVIII.

ALOISI
PATRONE . SALVTARIS
TIBI . PRIMOS
AETATIS . ET . STVDIORVM . FLORES
DEDICAMVS
TEQVE . AVSPICE
HONORIS . ITER . INIMVS *

* Titulus votivus in fronte adversa aurei cordis, in quo condita sunt nomina: in fronte aversa

AN. CH. MDCCCLXIII
AVDITORES . INFIMAE . GRAMMATICAE
IN . COLL. ROM. SO. IESV.

CCCXXXIX.

LAPIS . AVSPICALIS . AEDIS . S. CENEREI
FAVSTA . PRECATIONE . LVSTRATVS
A. D. N. PIO . IX . P. M.
XV . KAL. MAIAS . A. CH. MDCCCLXIV.
ET . DONO . MISSVS . ALOISIO . LORIEVL. CVRIONI
PER . XISTVM . RIARIVM . SFORTIAM . CARD. ARCHIEP. NEAPOL.
ROMAE . EXSVLANTEM *

* IN GALLIA IN VALLE GVIDONIS.

CCCXXXX.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
CVM . CATHERINE . PELLEGRINIA . VXSORE
FRANCISCVS . LEVA
DOMO . LIBVRNO . IN . HETRVRIA
INCOLA . ROMANVS
MERCATOR
BENEFICENTIA . IN . PAVPERES . EXIMIA
PIVS . VIXIT . ANNOS . LXIV . MENS. VIII . D. XIX.
DECES. V. KAL. DEC. AN. MDCCCLXII.
ALOISIVS . PHILIPPVS . IGNATIVS
PARENTI . OPTIMO
P. *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCXXXXI.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXIII.
LAVRENTIVS . SIGNANIVS
EX . DISCIPLINA . FRATRVM . CAPVLATORVM . FRANCISCI . P.
EPISCOPVS . SVTRINVS . ET . NEPESINVS
AEDEM . IACOBI . APOSTOLI . ET . COENOBIVM
TEMPORVM . INIVRIA . FATISCENTIA
INSTAVRAVIT
ET . SEMINARIO . SVTRINO . A . SE . INSTITVTO
ATTRIBVIT *

* RVRE APVD SVTRIVM.

CCCXLII.

TITVLI . TEMPORARII
PROPOSITI
TRIDENTI
TERTIIS . FESTIS . SAECVLARIBVS
A . CONCILIO . ABSOLVTO . AN. MDCCCLXIII.

1.

VIGILI
MARTYR . CHRISTI
PATRONE . SALVTARIS
QVAM . FIDEM . LATE . NOSTRIS . IN . REGIONIBVS
SEVISTI
TVOQVE . RIGASTI . SANGVINE
IMMOTAM . TVERE
NOSTRISQVE . A . FINIBVS
MALAM . HAERESIM
PROCVL . ARCETO *

* In fronte aedis sacrae Vigilii Episcopi Martyris, qui saeculo IV Christi fidem Tridentinos docuit, eamque sanguine consignavit anno CCCC lapidibus ab idolorum cultoribus appetitus.

CCCXLIII.

2.

MARIA
VIRGO . DEI . PARENS
SPES . ET . COLVMEN . ECCLESIAE
SI . TVI . MVNERIS . FVIT
QVOD . SAPIENTIBVS . SCITIS . PATRES
FIDEI . ET . DISCIPLINAE
CONSVLVERINT
TV . PIA . EX . HISCE . LEGIBVS . PERENNES
IN . REM . CHRISTIANAM . FRVCTVS
FAC . DIMANENT *

* IN ALIIS SACRIS AEDIBVS.

CCCXLIV.

3.

DEO . VNI . TRINO . AETERNO
CVSTODI . ET . VINDICI . CHRISTIANI . NOMINIS
GRATIARVM ACTIO
AB . ECCLESIA . TRIDENTINA
QVOD . CAELESTI . EIVS . INSTINCTV . ET . NVMINE
HAC . IN . VRBE
CONCILIVM . MAGNVM
IDIBVS . DECEMBRIBVS . AN. MDXXXXV.
A . PAVLO . III. PONTIFICE . MAXIMO . COACTVM
PRIDIE . NONAS . DECEMBRES . AN. MDLXIII.
PIO . IV. PONTIFICE . MAXIMO
FELICITER . FVERIT . ABSOLVTVM
MAXIMO . REI . CATHOLICAE . EMOLVMENTO

CCCXLV.

4.

HONORI
SIMONIS . PVERI . MARTYRIS
CIVES
SPE . IN . EIVS . EXVVIIS . CONFIRMATA
AEDEM . SACRAM
EXORNAVIMVS

CCCXLVI.

5.

CHRISTO . DEO
AVCTORI . ET . SOSPITATORI
REI . CHRISTIANAE
LIBENS . MERITO
VOTA . SOLVIT
CLERVS . ORDO . ET . POPVLVS
TRIDENTINVS
SAECVLO . III. FELICITER . EXEVNTE
A . CONCILII . ABSOLVTIONE

CCCXLVII.

6

HAS . COLVERE . AEDES
HEIC . NOBILEM . LABORVM . ET . VITAE
EXITVM . HABVERVNT
HERCVLES . GONZAGA . CARD.
HIERONYMVS . SERIPANDVS . CARD.
LEGATI . AD . CONCILIVM . A . PIO . IV. P. M.
VITA . FVNCTI . AN. MDLXIII. *

* IN FRONTE DOMVS.

CCCXLVIII.

7.

HEIC . ECCLESIA . CHRISTI
DIVINAM . VIM . EXPLICVIT
HEIC . COLLECTIS . ARMIS
HOSTES . FVDIT
ET . SOLEMNEM . DE . ERRORVM . MONSTRIS
EGIT . TRIVMPHVM *

* In pronao aedis sacrae Vigilii Episcopi Martyris, in qua leges solemni ritu ferebantur.

CCCXLIX.

8.

HEIC . PAVPERVM . TVRBAE . IMMIXTI
AGEBANT
IACOBVS . LAYNIVS
MODERATOR . SOCIETATIS . IESV
ET . ALPHONSVS . SALMERONIVS . E . SO. IE.
A . PAVLO . III. ET . IVLIO . III. PONTIFICIBVS . MAXIMIS
THEOLOGI . AD . CONCILIVM . MISSI
HINC . AD . FIDEI . DOGMATA . ADSTRVENDA
ET . AD . LEGVM . SACRARVM . VINDICIAS
PRODIBANT
PATRVM . CONVENTV
DOCTRINAM . VIRORVM . ANIMIQVE . DEMISSIONEM
DEMIRANTE *

* In fronte Xenodochii, in quo nunc temporis horrea publica.

CCCL.

9.

HEIC
IACOBVS . LAYNIVS
SOCIETATIS . IESV . PRAESES
IN . SOLEMNIBVS . PATRVM . COMITIIS
MAGNAE . DEI . MATRI
CONCEPTVM . AB . ORIGINE . IMMACVLATVM
GRAVIBVS . SENTENTIIS
ASSERVIT *

* In fronte aedis sacrae, in quam Patres ad suffragia ferenda coibant.

CCCLI.

10.

PIO . IX.
PONTIFICI . MAXIMO
AMPLIFICATORI . CHRISTIANI . NOMINIS
MVLTA . QVINQVENNIA
FELICITER

CCCLII.

II.

PIE . IX.
PONTIFEX . MAXIME
FELIX . REM . CHRISTIANAM . REGAS
FELIX . AVGEAS
PROTRITIS . HOSTIBVS

CCCLIII.

12.

FRANCISCE . IOSEPHE . CAESAR
PIE . INVICTE . AVGVSTE
SALVVS . IMPERES
FELIX . IMPERES
AD . MVLTA . QVINQVENNIA

CCCLIV.

13.

TIBI . FRANCISCE . IOSEPHE
AVGEAT . IMPERIVM . DEVS
AVGEAT . ANNOS *

* In quatuor postremis titulis X, XI, XII, XIII obsecutus sum mori veterum romanorum, qui in Senatu, in foro, in comitiis et publicis conventibus Imperatoribus his propemodum formulis adclamabant.

CCCLV.

14.

ANNO . MDCCCLXIII.
TRIDENTI
BENEDICTVS . DE . RICCABONA . EPISCOPVS . PRINCEPS
CLERVS . ORDO . ET . POPVLVS
TERTIA . FESTA . SAECVLARIA . OBEVNT
A . CONCILIO . MAGNO . ABSOLVTO *

* In fronte aversa numismatis maioris, quod Pii IX P. M. munificentia cusum est: frons adversa refert Pium IX Pontificem Maximum.

CCCLVI.

15.

CONCILIVM . MAGNVM
TRIDENTI . INCHOATVM . AN . MDXLV.
ABSOLVTVM . AN. MDLXIII.
ECCLESIAE . SALVS *

* In fronte aversa numismatis minoris, quod collata a Benedicto de Riccabona Episcopo Principe, et a civibus pecunia percussum est: frons adversa exhibet Pium IX Pontificem Maximum.

CCCLVII.

A ☧ Ω

IGNATIO . MAGLIOCCHETTIO
DOMO . CYNTHIANO
INCOLAE . ROMANO
PROBO . PIO . SOLERTI
IN . PAVPERES . MISERICORDI
DECESSIT . VII . IDVS . FEBR. AN. MDCCCLX.
ANNOS . NATVS . LXXVIII. MENS. X. D. XX.
FILII . CVM . LACRIMIS
POSVERE
PARENTI . OPTIMO . DESIDERATISSIMO *

* ROMAE AD S. FRANCISCI VICO RIPAE MAIORIS.

CCCLVIII.

HEIC . IN . CHRISTO . QVIESCIT
TRANSLATIS . CINERIBVS
ALOISIVS . IOANNIS . F. PROVENZANIVS
SACERDOS
ARCHIDIAC. COLLEGII . CANON.
PROTONOT. APOSTOLIC.
PIETATIS . STVDIVM . VOCE . ET . EXEMPLO
IN . CIVIBVS . INSTAVRAVIT
DECES. KAL. APRIL. A. MDCCCXXX.
ANNVM . AGENS . LXXI.
IOANNES . EQ. POSVIT . PATRVO . BENEMERENTI *

* CERBIAE.

CCCLIX. *

HEIC . B. IOANNES . BAPTISTA . DE . ROSSI
FERIATIS . DIEBVS
LECTIORES . ADOLESCENTVLOS
E . COLLEGIO . ROMANO . SOC. IESV
POST . OPERAM . AEGROTANTIBVS
IN . NOSOCOMIO . COMMODATAM
AD . VIRTVTEM . ET . MAGNAE . DEI . MATRIS . CVLTVM
HORTABATVR *

* ROMAE IN AEDICVLA D. N. MARIAE AD COLLEM PALATINVM. Plautus in Rudente Act. II. sc. IV. « Operam civis civi commodat. »

CCCLX.

CHRISTO . DEO
HVMANI . GENERIS . SERVATORI
ILLATAS . VOCE . ET . SCRIPTIS . INIVRIAS
REDIMAMVS
VIOLATVM . SCELERE . NVMEN
PRECE . ET . HOSTIA . PIACVLARI
PLACEMVS
PETRI . ORE . ET . FIDE
IESVM . DEI . VNIGENAM
PROFITEAMVR *

* ROMAE IN FRONTE SACRAE AEDIS D. N. IESV III NONAS IANVARIAS ANNI MDCCCLXIV.

CCCLXI.

PIO . IX . PONTIFICE . MAXIMO
CONSILIVM . ET . DIAGRAMMA . PROBANTE
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXIV.
IV. IDVS . IVNIAS
AVSPICE . ET . PATRONA . MARGARITA . SANCTA
REGINA . SCOTIAE . ET . PATRONA
COEPTA . AB . INCHOATO . IN . AMPLIOREM . FORMAM
INSTAVRATIO
COLLEGII . N. SCOTORVM . A . CLEMENTE . VIII.
AN. MDC. INSTITVTI *

* ROMAE IN FVNDAMENTIS NOVAE MOLITIONIS.

CCCLXII.

PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
SQVALENTIBVS . AEDIBVS . DISIECTIS
AB . INCHOATO . EXCITAVIT
AN. MDCCCLXIV. *

* ROMAE IN CLIVO QVIRINALI AD SOLEM OCCIDENTEM.

CCCLXIII.

IGNATIAE . DE . LVTZOW
QVAE . FESTO . DIE . IOSEPHI . PATRONI
VTI . OPTARAT . DECESSIT
PIETATE . IN . DEVM . BENEFICENTIA . IN . PAVPERES
IN . PETRI . SEDEM . STVDIO
OMNIVM . AMOREM . ET . LAVDES . PROMERITAE
PACEM . A . DEO . CAELESTEM
ADPRECEMVR *

* ROMAE IN FRONTE AEDIS D. N. IESV. Ingens virtutis suae desiderium reliquit Ignatia Teulada clarissima femina uxsor Rodulphi De Lutzow comitis, quae diem suum obiit in castro Miramarii apud Tergestem XIV Kal. apriles anni MDCCCLXIV. Suprema funeris matri benemerenti instaurarunt filiae, quarum altera Alexandro Cardellio comiti, altera Angelo Vitelleschio marchioni viris clarissimis nupserunt.

CCCLXIV.

TIBI . HAMILCAR . MALAGOLA
REI . DIVINAE . PRIMVM . OPERANTI
AD . ARAM
ALOISII . GONZAGAE
COLLEGIVM . GHISLERIVM
QVOD . TE . AD . OMNEM . HONESTATEM
EDVXIT
DIVINVM . SACERDOTII . MVNVS
GRATVLATVR
TV . ILLI
SACRA . INTER . MYSTERIA
CAELESTEM . A . DEO . OPEM
PRECATOR *

* INSCRIPTIO PROPOSITA LIBELLO CARMINVM AN. MDCCCLXIII. MENSE DECEMBRI.

CCCLXV.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
MARIANNA . IOSEPHI . GENTILII . F.
VXSOR . PETRI . CONTINII
QVAE . VIRO . AMISSO
REM . FAMILIAREM . GESSIT . EX . SENTENTIA
FILIOS . AD . VIRTVTEM . VOCE . ET . EXEMPLO . EDVXIT
PAVPERES . QVA . POTVIT . OPE . IVVIT
DECESS. III. KAL. IAN. AN. MDCCCLXIV.
ANNOS . NATA . LXXV. M. VII. D. XXVII.
IOSEPHVS . ANNA . ALOISIA . ANGELICA
MATRI . PLVS . DE . SE . MERITAE . QVAM . TITVLO . SCRIBI . QVEAT
CVM . LACRVMIS . POSVERVNT

VIVAS . IN . DEO *

* ROMAE IN COEMETERIO. In ima basi monumenti optimum factu duxi, more tertii et quarti saeculi christiani anchoram et columbam effingere; anchora enim crucem D. N. Iesu, et sitam in ea spem signat, columba vero caelestem Spiritus Sancti in animam allapsum.

CCCLXVI.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . NOMINI
IOSEPHI . PRESB.
ANTONII . ALBERTVCCII . ET . VINCENTIAE . BOSCARINIAE . F.
PATRICIA . VRBANIENSIVM NOBILITATE
E . COLLEGIO . PATRVM . CANONICORVM . AEDIS . PRINCIPIS
CVIVS . PIETAS . MODESTIA . INTEGRITAS . EXEMPLO
MORS . AETATE . ALIENA . MOERORI . CIVITATI . FVIT
MORVM . INNOCENTIAM
PRECVM . STVDIO . ABSTINENTIA . VOLVPTATVM . SEPSIT
PVEROS . AD . VIRTVTEM . SOLERTI . CVRA . FLEXIT
VITIA . CONCIONIBVS . ET . MONITIONE
PRIVATIM . ET . PVBLICE . COARGVIT
MORBI . QVO . VII. MENSES . CONTABVIT
ASPERITATEM . HILARI . VVLTV . PERPESSVS
VITAM . DEO . PRO . PETRI . SEDE . DEVOVENS
DECESSIT . IX. KALENDAS . NOVEMBRES . AN. MDCCCLXII.
NATVS . ANNOS . XXIX. MENS. IV. DI. VIII.
AVE . ET . VIVE . IN . CHRISTO
SACERDOS . CASTISSIME
TE . PARENTES . TE . COLLEGAE . TE . CIVES
LACRVMIS . ET . COMMENDATIONE
PROSEQVVNTVR *

* TITVLVS ROMA VRBANIAM MISSVS. Haec dicendi formula, morbi aut dolorum asperitas, qua usus est M. Tullius Cicero libro V. de finibus bonorum et malorum, latinis lexicis addenda videtur.

CCCLXVII.

A ☧ Ω

HEIC . DORMIT . IN . PACE . CHRISTI
ANGELA . RITA . PETRI . NVCCI . F.
VXSOR . IOANNIS . COSELLI
DOMO . PEDE . RIPAE . IN . NVRSINIS
QVAE . VIRO . AMISSO . CAELESTIA . DILEXIT . VNICE
CHRISTVM . IESVM . IN . EGENTIBVS . ALVIT
EVMQVE . IN . ALTARI . DELITESCENTEM
ET . DIVINAM . MATREM . COLVIT . IMPENSE
MORBOS . ET . CALAMITATVM . CONCVRSVS
ERECTO . ANIMO . TVLIT
IEIVNIIS . SVPRA . QVAM . FERRET . AETAS
PVDORIS . CVSTODIA . ORANDI . STVDIO
VIAM . VIRTVTIS . PERSECVTA
DECESSIT . XIII. KAL. IAN. AN. MDCCCLXII.
ANNOS . NATA . LXXXIV.
DOMINICVS . SACERDOS
POSVIT . MATRI . OPTIMAE
VIVENDI . MAGISTRAE *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCLXVIII.

A ☧ Ω

HEIC . DORMIT . IN . PACE . CHRISTI
ELVIRA . MARIA
VIRGO
QVAE . PVDORIS . LILIVM
ALOISIO . PATRONO . CONCREDITVM
CAELO . INTVLIT
III. NONAS . QVINTILES . AN. MDCCCLXII.
ANNVM . AGENS . XVI. MENS. VI. D. XVII.
AVE . ET . VIVE . CVM . ANGELIS
ELVIRA
MEMOR . IOSEPHI . ET . ALOISIAE
PARENTVM *

* VRBEVETERE.

CCCLXIX.

III. IDVS . MAIAS
ANNI . MDCCCLXIII.
QVO . DIE . D. N. PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
FRVSINONEM . SINGVLARI . CAMPANAE . PROVINCIAE
GRATVLATIONE . ET . PLAVSV . ADVENIT
AEDES . N. SVBIIT . PVELLAS . AD . PIETATEM
MAGISTRAS . AD . EAS . PROBE . INSTITVENDAS . COHORTATVS
AVRI . STIPEM . COLLEGIO . N.
ET . VII. PANES . SIBI . AB . ANAGNINIS
EX . BONIFACII . VIII . LEGE
OBLATOS . LARGITVS . EST *

* FRVSINONE IN COLLEGIO VIRGINVM A IESV ET MARIA.

CCCLXX.

A ☧ Ω

HEIC . SIBI . SVISQVE . REQVIEI . SEDEM . ELEGIT
ANTONIVS . MORICHINIVS . DOMO . VMBER
MEDICVS
PRIOR . ILLATA . EST . VIRGINIA . FILIA
ANNOR. IV. MENS. V. DIER. XII.
Θ . PRID. IDVS . FEBR. AN. MDCCCLX.
OSSIBVS . TRANSLATIS . AB . AGRO . VERANO *

* ROMAE AD S. PETRI IN IANICVLO.

CCCLXXI.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . QVIETI
FRANCISCI . VILLADICANII . MARIANI . MOLAE . PRINCIPIS . F
CARD. ARCHIEPISCOPI . N.
QVI . PIETATE . ET . PRVDENTIA
AD . HANC . DIGNITATEM . EVECTVS
PATRIAE . COMMODIS . STVDVIT
PAVPERVM . CALAMITATIBVS . OCCVRRIT
MAGNAE . DEI . MATRIS . CVLTVM . PROVEXIT
DECESS. IDIB. IVN. AN. MDCCCLXI.
ANNOS . NATVS . LXXXI. M. III. D. XXI.
IOANNES . BAPTISTA . POSVIT
PATRVO . SANCTISSIMO *

* MESSANAE IN AEDE PRINCIPE.

CCCLXXII.

A ☧ Ω

ANTONIO . NICOLAI . F. MARTORELLIO
DOMO . MONTE . COMPATRE . APVD . TVSCVLVM
INCOLAE . ARICINO
QVI . IN . MVNICIPII . N. PRAEFECTVRA
DECORI . ET . COMMODIS . OPPIDI
STVDVIT
DE . RELIGIONE . DE . PAVPERIBVS
EXIMIE . MERITVS
DECESSIT . III. KAL. IVN. AN. MDCCCLXII.
ANNOS . NATVS . LXXVI. D. I.
ANNA . PIERVINCENTIA . VXSOR . ET . IOANNES . FILIVS
BENE . MERENTI . POSVERVNT *

* ARICIAE (nondum).

CCCLXXIII.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . QVIETI
ANTONII . LOZANI . COMITIS
GENTE . HISPANI . INCOLAE . ROMANI
CAROLI . IV. REGIS . ASSECLAE
Θ . V. KAL. MART. AN. MDCCCXLII. A. N. LIII.
ET . MARIAE . MAGDALENAE . ARGOLIAE . VXSORIS
Θ . XIII. KAL. SEPT. A. MDCCCXLI. A. N. XLIV.
ET . ALEXANDRI . ALOISIAE . CAROLINAE . FILIORVM
GVIDO . ET . PHILIPPVS . A . CARPINEO . COMITES
AMALIAE . LOZANAE . FILII
POSVERVNT *

* ROMAE AD S. MARIAE IN FORO MINERVAE.

CCCLXXIV.

PIE . IX . PONTIFEX . MAXIME
FIDEI . MAGISTER
TVTAMEN . ET . DECVS . CHRISTIANI . NOMINIS
EN . TIBI . REBVS . IN . ANGVSTIS
TENVE . MVNVS
QVOD . LONGVM . IN . TE . ET . PETRI . SEDEM
NOSTRVM . TESTETVR . AMOREM *

* IN FRONTE LIBELLI REFERENTIS STIPEM COLLATITIAM OBLATAM D. N. PIO IX PONTIFICI MAXIMO, A PAGO HELVETICO TICINENSI ANNO MDCCCLXIV FESTIS PASCHALIBVS.

CCCLXXV.

A ☧ Ω

HEIC . QVO . VALETVDINIS . CAVSA . CONCESSERAT
DIEM . SVVM . CLAVSIT
KAL. MAIIS . AN. MDCCCLXIII.
ALOISIVS . IGNATII . F. OLIVIERIVS
DOMO . ROMA
ANNOS . NATVS . XX.
INGENIO . LITTERIS . PIETATE . INSIGNIS
VALE . ET . VIVE . IN . DEO
ALOISI *

* NEAPOLI IN COEMETERIO.

* CCCLXXVI.

A ☧ Ω

THERESIAE . IGNATII . F. OLIVIERIAE
VIRGINI
QVAE . IN . DEVM . PIETATEM . ORANDI . STVDIO . ALVIT
OBSEQVIVM . IN . PARENTES . CANDORI . MORVM . SOCIAVIT
DECESS. XIII. KAL. IAN. A. MDCCCLXII.
AN. NA. XXXII. M. IV.
MARGARITA . POSVIT
FILIAE . SVAVISSIMAE *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCLXXVII.

AN. CHR. MDCCCLXII *

MAGNAE . DEI . MATRIS
IMAGO . SVPERSTES . EX . AEDE . SACRA . VICO . CARLEO
QVAE . SOLO . AEQVATA . EST
NE . AB . ANGVSTIA . VIAE
COMMEANTIBVS . FORET . PERICVLVM **

AVE . DECVS . ET . PRAESIDIVM
AVE . TVTELA . PRAESENS . ROMAE ***

* IN TABVLA MARMOREA SVPERIORE.
** SVB IMAGINE.
*** IN TABVLA EXTREMA. (frustra)

CCCLXXVIII.

A ☧ Ω

MAVRITIO . CANCELLOTTO
EQVESTRI . SEPTEMPEDANORVM . NOBILITATE
VIRO . PIETATIS . SPECTATAE
OLYMPIA . MARTIA . CANCELLOTTA . HERES
POSVIT
PARENTI . OPTIMO
DECESS. KAL. SEPT. AN. MDCCCLXIII.
AN. NA. LXXVII. M. VII. D. X.
TE . IN . PACE . CHRISTVS *

* ALBANI IN AEDE D. N. MARIAE CVI A STELLA NOMEN.

CCCLXXIX.

PETRO . APOSTOLO
VINCVLIS *. EXSOLVTO
NICOLAVS . PARACCIANVS . CLARELLIVS . CARD.
TITVLO . HONORIS . SVI
AN. MDCCCLXIV. *

* ROMAE IN BASI AENEORVM LYCHNVCORVM QUOS VIR CLARISSIMUS DONO DEDIT.

CCCLXXX.

MARIAE . PERDOLENTI
QVAE . NOSTROS . MISERATA . LABORES
LVMINA . CEV . VIVENS . IN . POPVLVM . CONVERTIT
AVDITORES . COLLEGII . TIBVRTIS . SOC. IESV
KALENDIS . MAIIS . AN. MDCCCLXIV *

* TIBVRE IN AEDE PRINCIPE. TITVLVS INSCRIPTVS CORDI ARGENTEO IN QVO CONDITA SVNT NOMINA AVDITORVM.

CCCLXXXI.

CAROLO . LVDOVICO . BVLLEN
E . SACRO . ANGLORVM . EPHEBEO
ROMAE . AD . THOMAE . CANTVARIENSIS
REI . DIVINAE . PRIMVM . OPERANTI
XIII. KAL. IANVAR. AN. MDCCCLXIV.
EDVARDVS
FILIO . SVAVISSIMO
ΜΝΗΜΗΣ . ΧΑΡΙΝ *

* IN BASI CALICIS.

CCCLXXXII.

MARIA . SANCTA
INGENIORVM . QVAE . TIBI . SE . DEVOVENT
ALTRIX . CVSTOS . ET . MAGISTRA
DEDVCTVM . CARMEN
QVOD . NOMINI . TVO . ACADEMIA . IOSEPHIANA
MAIO . EXEVNTE . LVDIT
EXCIPE
AST . O . PARENS . OPTIMA
DOCTRINAE . ET . VIRTVTIS . ARMIS
NOS . INSTRVE
BREVI . IN . ACIEM . PRODITVROS *

* TITVLVS TEMPORARIVS ACADEMIAE IOSEPHIANAE SVTRII IN SACRO EPHEBEO CONSTITVTAE AN. MDCCCLXIV.

CCCLXXXIII.

CHRISTE . DEVS
ORBIS . VNIVERSI . SERVATOR
EVLOGIO . A . VILLA . VRRVTIA
STRENVO . RELIGIONIS . CATHOLICAE
APVD . MEXICANOS . SVOS . PROPVGNATORI
ADITVM . AD . BEATAS . SEDES
RECLVDE *

* ROMAE TITVLVS TEMPORARIVS IN FRONTE AEDIS S. MARIAE AD VIAM LATAM ANNO MDCCCLXIII. (frustra)

CCCLXXXIV.

ALEXANDRO . ANGELONIO . ARCHIEPISCOPO . VRBINATIVM
CVIVS . SAPIENTIA . INCOLVMITATEM . ECCLESIAE . N.
ARCTIS . IN . REBVS . PEPERIT
KLERVS . ET . FAMILIAE . SACRAE . AN. MDCCCLXIV. *

ALEXANDRO . ANGELONIO . PONTIFICI . MAIORI . VRBINATIVM
KLERVS . ET . FAMILIAE . SACRAE
QVOD . ECCLESIAE . IVRA . AVCTORITATE . TEXIT
CONSTANTIA . ASSERVIT
VIRTVTE . VINDICAVIT
AN. MDCCCLXIV. **

* IN BASI SIGNI ARGENTEI PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS. (frustra)
** IN BASI SIGNI ARGENTEI PAVLI APOSTOLI. (frustra)

CCCLXXXV.

A ☧ Ω

HEIC . VIRGINES . THERESIANAE
IN . PACE . CHRISTI . CONQVIESCVNT
ET . EXTREMVM . CAELESTIS . SPONSI . ADVENTVM
REVICTVRAE . PRAESTOLANTVR *

* BABVCI IN PROVINCIA CAMPANA.

CCCLXXXVI.

A ☧ Ω

HEIC . SIBI . REQVIETIS . SEDEM
VIVENS . ELEGIT
ALOISIVS . DE . GREGORIIS
ADLECTVS . INTER . SODALES . A . CORDE . D. N. IESV
III. KAL. MART. A. MDCCCXXIII.
NOMINE . ADSCITO . DAMASI . PONT. MAX.
IN . SANCTIVS . CONSILIVM . LXXII. VIR. COOPTATVS
KALENDIS . MAIIS . AN. MDCCCXXXVI.
DIEM . SVVM . OBIIT . . .
ANNOS . NATVS . . . *

* ROMAE AD S. THEODORI.

CCCLXXXVII.

DOMINICVS . LVCCIARDVS
DOMO . SERGIANO . IN . ORA . LIGVSTICA
CARD. EPISCOPVS . SENOGALLIENSIS
DE . N. SODALITATE . CVI . PRAEFVIT
EXIMIE . MERITVS
PAVIMENTVM . SECTILIBVS . STRAVIT
AN. MDCCCLXIII. *

* ROMAE AD S. IOANNIS BAPTISTAE.

CCCLXXXVIII.

PIO . IX . PONTIFICI . MAXIMO
CVIVS . AVCTORITATE
CELLA . HOSPITA . B. BENEDICTI . IOSEPHI . LABREI
IN . AMPHITEATRO . FLAVIO
DEDICATA . EST
FRANCISCVS . VIRILIVS . SODALIS
A . SANGVINE IESV *

* ROMAE IN ICONE REFERENTE B. BENEDICTVM IOSEPHVM SVB FORNICE AMPHITHEATRI FLAVII CAELESTIA INTENTO ANIMO CONTVENTEM.

CCCLXXXIX.

CIVES . CVRIATI . COLLATA . STIPE
AN. CHR. MDCCCLXIV. *

* ROMAE sub vexillo imaginem referente Marci Evangelistae, et Marci Pontificis Maximi et Martyris: quod vexillum in sacra pompa circumfertur a curia S. Marci.

CCCXC.

A ☧ Ω

HEIC . SIBI . ET . SVIS
VNA . IN . DEO . VICTVRIS
SEPVLCRI . SEDEM . ELEGIT
ACHILLES . FRANCOIS
AN. MDCCCLXIII.
H. S. H. E. N. S. *

* ROMAE AD S. MARIAE VICO PACIS. Verba extrema sic legito Hoc. Sepulcrum . Heredem . Externum . Non . Sequatur: quae forma apud veteres jus mancipii innuebat.

CCCXCI.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXIII.
III. IDVS . MAIAS . QVO . DIE . IN . LVCEM . EDITVS . EST
D. N. PIVS . IX. PONTIFEX . MAXIMVS . FRVSINATES . FAVSTO . ADVENTV
ITERVM . BEAVIT . EFFVSA . OBVIAM . CIVITATE
ET . ARCV . DVRATEO . IN . ADITV . VRBIS . N.
ET . COLVMNA . IN . FORO . EXCITATIS
A . MERIDIE . CHRISTVM . DOMINVM . IN . AEDE . PRINCIPE
ADORATVM . ACCESSIT
AD . COLLEGIVM . VIRGINVM . A . IESV . ET . MARIA
QVAE . PVELLAS . AD . VIRTVTEM . INSTITVVNT
PROGRESSVS . MAGISTRAS . LAVDE . ET . AVRI . STIPE . SOLATVS . EST
NOCTE . PEGMATA . INCENSA
ET . COLLES . COMINVS . EMINVS . IGNIBVS . MICVERVNT
PRIDIE . IDVS . FESTO . CHRISTI . DOMINI . IN . CAELVM . ASCENDENTIS
QVO . DIE . AN. MDCCXXVII. BENEDICTVS . XIII. HEIC . COMMORANS
POPVLVM . SALVTARI . PRECATIONE . LVSTRARAT
PIVS . IX. EX . AEDIVM . PVBLICARVM . MOENIANO
MVLTITVDINI . EX . CITIMIS . VRBIBVS . ET . OPPIDIS
CONFLVENTI . BENE . PRECATVS . EST
A . MERIDIE . MAGNAM . DEI . MATREM . A . NIVE . VENERATVS
COENOBIVM . ET . CONCLAVIA . HOSPITA . BENEDICTI . XIII. SVBIIT
VERVLAS . CASAEMARII . COENOBIVM . ALETRIVM . CEPERANVM . TECLENAM
CONTINENTIBVS . DIEBVS . SECVNDVM . VOTA . POPVLORVM . INVISIT
EXIMIAE . IN . EGENOS . IN . CIVES . IN . DEI . CVLTVM
MVNIFICENTIAE . MONVMENTA . RELINQVENS

FERENTINATIBVS . MD. S. N. ANAGNINIS . M.
VERVLANIS . M. AD . MENSAM . PIGNERATICIAM
CONSTITVENDAM . ATTRIBVIT
AQVAM . SALVBRIS . HAVSTVS . IN . ANAGNIAE . FORVM
SALIENTIBVS . DEDVXIT
QVO . BENEFICIO . VT . ALETRINATES . FRVERENTVR
XX. MILLIA . S. NVM . LARGITVS . EST
CIVITATI . N. NOSOCOMIVM . A. SOLO . EXTRVENDVM . SANXIT
XIV. KALENDAS . IVNIAS . AVGVSTAM . DEI . PARENTEM
GRATIARVM . CONCILIATRICEM . IN . SVBVRBIO . N.
LAETA . RVRICOLARVM . ADCLAMATIONE . PEDES . ADIIT
COLLEGIS . A . DEO . REDEMPTORE . SODALITIVM . AB . INFANTIA
D. N. IESV
ET . LABORES . IN . POPVLO . EXCOLENDO . GRATVLATVS
XIII. KAL. IVN. ROMAM . CONTENDIT
DE . VIA . DIVERTENS . FERENTINATES . ET . ANAGNINOS
OPTATISSIMO . ACCESSV . HONESTAVIT
QVAE . PRINCIPIS . OPTIMI . INDVLGENTISSIMI . BENEFICIA
POSTERITATI . COMMENDANDA

CENSVERVNT

XIVVIRI . PROVINCIAE . CAMPANAE . ADMINISTANDAE
FERDINANDVS . SCAPITTA . ANTIST. VRB. PRAESES . PROVINCIAE *

* INSCRIPTIO HISTORICA IN CVRIA FRVSINATIVM.

CCCXCII.

A ☧ Ω

HEIC . AD . MARTYRVM . CRYPTAS
COMPOSITVS . EST
EVLOGIVS . A . VILLA . VRRVTIA
DOMO . MEXICO
E . CCL. PRIMORIBVS . QVI . IMPERIVM . CONSTITVENDVM
ET . MAXIMILIANO . AVSTRIADAE . DEFERENDVM . CENSVERVNT
RELIGIONIS . LAVDEM . A . MAIORIBVS . ACCEPTAM . AVXIT
COETVVM . SACRORVM . ALVMNOS . ET . VIRGINES
DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS
DOMI . SVAE . ALVIT . TVTATVS . EST
AEDIVM . SANCTARVM . DIGNITATI . SVMPTV . SVO . CONSVLVIT
MORVM . INTEGRITATEM . PIETATE . PIETATEM . STVDIO . ORANDI . FOVIT
MAGNAM . DEI . MATREM . EXIMIE . ORNAVIT . DILEXIT
EIVSQVE . IMAGINEM . QVAE . VARIAE . COLITVR
AEGER . ADIIT
AB . EAQVE . FESTO . DIE
SVI . CONCEPTVS . AB . ORIGINE . IMMACVLATI
IN . CAELVM . EVOCATVS . EST . AN. MDCCCLXIII.
ANNOS . NATVS . XXVIII. TANTVM
ESTHER . PESADO . POSVIT . CONIVGI . SVAVISSIMO
QVOCVM . MENSES . XV. CONCORDISSIME . EXEGIT
AVE . EVLOGI . ET . VIVE . IN . DEO
MEMOR . TVAE . ESTHERIS
QEAE . HEV . SINE . TE . OCEANVM . RELEGENS
DOMVM . SOLA . REMIGRAT *

* Romae in coemeterio. Oppidum, cui Vici Vari nomen, veteres Variam dixerunt. Cluverius Italiae Antiquae lib. II pag. 783 edit. Elzevirianae haec nos docet: « Varia quin sit idem oppidum, quod nunc in dextra Anienis ripa vocatur *Vico Varo*, dubium esse nullum potest. » Eadem est mens Cellario libro II cap. IX Geographiae antiquae.

CCCXCIII.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXIV.
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
MVNICIPIO . N.
OB . CONSTANS . IN . PETRI . SEDEM . STVDIVM
NOMEN . ET . IVRA . CIVITATIS . CONTVLIT
ET . VT . VIA . AD . SIGNINOS . FINES
DEDVCERETVR
III . MIL. S. N. LARGITVS . EST
PER . ANDREAM . BIZARRIVM . PATREM . CARDINALEM
DE . SVIS . CIVIBVS . EGREGIE . MERITVM *

* PALEANI IN HERNICIS.

CCCXCIV.

MEMORIAE . ET . QVIETI
THOMAE . AZZOCCHII
SACERDOTIS . BENEFICIARII . VATICANI
A . CVBICVLO . AD . HONOREM . ET . A . SACRIS
D. N. PII . IX. PONT. MAX.
INGENIO . LITTERIS . PERITIA . ITALI . SERMONIS
INTER . PROBATOS . SCRIPTORES . RECENSENDI
PIETATE . IN . DEVM . ET . MAGNAM . DEI . MATREM . EXIMIA
DECESS. III. KAL. FEBR. A. MDCCCLXIII.
AN. N. LXX. M. VII. D. XIX.
PATRITIVS . FRATRIS . FILIVS . POSVIT
PATRVO . SANCTISSIMO *.

* ROMAE IN COEMETERIO S. SPIRITVS

CCCXCV.

A ☧ Ω

HEIC . ANTE . ANGELORVM . DOMINAM
CVIVS . ERAT . CVLTOR . EXIMIVS
CONDI . VOLVIT
PETRVS . ANTONIVS . GIGLIVS . VINCENTII . MARIAE . F.
EX . ORDINE . PATRICIO
ROMANA . ET . SETINA . CIVITATE . DONATVS
RELIGIONIS . STVDIO . SIBI . CONSTANS
LIBEROS . AD . PIETATEM . INSTITVIT
PAVPERES . IVVIT
DEI . ET . MAGNAE . DEI . MATRIS . CVLTVM . PROVEXIT
CVM . OLIVA . GIANNVZZIA . SPECTATISSIMA . FEMINA
ANNOS . XLVII . CONCORDISSIME . EXEGIT
DECESSIT . VII . EIDVS . IANVARIAS . A MDCCCLXIII.
AN. NA. LXXXI. M. IX. D. XIV.
CAROLVS . EPISCOPVS . TIBVRTIVM
QVI . MORIENTI . ADFVIT
CATHARINE . ET . VICTORIA . VIRGINES . SACRAE
CAECILIA . MACIOTIA . ET . ANNA GIANNVZIA
VICTORIA
PATRI . OPTIMO
CVM . LACRVMIS . POSVERVNT *

* Anagniae ad Angelorum Tutelarium in cella D. N. Mariae Angelorum Reginae.

CCCXCVI.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
ADELAIS . IOSEPHI . COLLINAE . F.
VXSOR . IOANNIS . CASTELLANII
DOMO . ROMA
PIA . COMIS. MVNIFICA . IN . EGENOS
DIRA. VI . MORBI . ABREPTA
V. KAL. SEPT. AN. MDCCCLXIII.
AN. NATA . XXI.
MARITVS . POSVIT
CONIVGI . SVAVISSIMAE *

CCCXCVI'.

VIVE . IN . DEO
GREGORI
MEMOR . IOANNIS . CANDELORII
ET . VIRGINIAE
PARENTVM
VIXIT . AN. III. D. XII.
CAELESTIBVS . ADDITVS
IV. IDVS . FEBR. AN. MDCCCLXIV.

* IN SABINIS.

CCCXCVII.

A ☧ Ω

VNA . MIHI . DIES
QVA . NATVS . EA . SACRO
LVSTRATVS . FONTE
ET . NOMEN . FRANCISCI . ADEPTVS
ABII . AD . CAELESTES
KALENDIS . MAIIS . ANNO . MDCCCLXVI.
IOANNES . PANDOLFIVS . ET . CLAVDIA
POSVERVNT
DELICIO . SVO

CCCXCVII'.

A ☧ Ω

MARIA . MIHI . NOMEN
AETAS . TRIENNIVM
HEREDITAS . CHRISTVS . DEVS
GAVDIA . AETERNA . INII
III. KALENDAS . QVINTILES . AN. MDCCCLX.
FRANCISCVS . POGGIVS . THERESIA . CONIVGE . ORBATVS
HEIC . COMPOSVIT
SPEM . DOMVS . ET . SOLATIVM . VIDVITATIS

CCCXCVIII.

A ☧ Ω

IVLIA . AVRAS . VITALES . HAVSI
IDIBVS . SEPTEMBRIBVS . AN. MDCCCLIII.
DECEM . POST . DIES . AERVMNIS . EREPTA
VIVERE . COEPI . IN . DEO
GEORGIVS . CAROVANIVS
POSVIT
FILIOLAE . DVLCISSIMAE

CCCXCVIII*.

A ☧ Ω

HEIC . FINEM . LABORVM . ADEPTA
QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
MARIA . FRANCISCA . A . CRVCE . CARMELITIS
QVAE . SACRO . EXTVRBATA . RECESSV . IN . SABINIS
VBI . SEXAGINTA . ANNOS . PIE . EXEGERAT
ROMAE . PERFVGIVM . INVENIT
DECESS. KAL. MARTIIS . ANNO . MDCCCLXIV.
ANNOS . NATA . LXXXIX. M. X. D. XII.
FRANCISCVS . CERVARA . COMES
POSVIT
AMITAE . SANCTISSIMAE *

* Probatiores scriptores nos docent in genere feminino usurpari Carmelitis idis, in virili Carmelites ae, vel Carmelita ae.

CCCXCIX.

MARIAE . SANCTAE
RESPICIENTI
GENS . ANGELINIA . ROTA
VTI . SE . SVAQVE
BENIGNO . RESPECTET . LVMINE *

KALENDIS MAIIS A. C. MDCCCLXIV.

* In corde argenteo, in quo meum, meorumque nomina recondita: quodque nostrum erga Magnam Dei Parentem quae Variae colitur, testetur amorem.

CCCC.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
DOMINICA . ANTONII . F. ANZERA
DOMO . CAPRANICA
QVAE . INTER . MAGISTRAS . PIE . INSTITVENDIS
PVELLIS . ADLECTA
STVDIO . VIRTVTIS . ENITVIT
DECESS. PRID. NON. IVN. AN. MDCCCLXII.
AN. NA. LII.
VIVAS . IN . DEO *

* IN PROVINCIA VITERBIENSI.

CCCCI.

A ☧ Ω

KALENDIS . QVINTILIBVS . A. C. MDCCCLXIII.
MARIA . THERESIA
ANTONII . MANGIN . EQ. TORQ.
ET . ELISABETHAE . WIELHORSKAE . COM. F.
TRIMVLA . AD . CAELESTES . ABII
VITAEQVE . EXORIENTIS . AERVMNAS
GAVDIIS . AETERNIS . COMMVTAVI
PARCITE . LACRVMIS
PARENTES
HVC . VOS . ANTEVERTI
HEIC . VOS . MANEO *

* ROMAE AD S. CLAVDII.

CCCCII.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
MARIANNA . DE . ASTREIS
QVAE . AN. MDCCCXXXVII.
IOSEPHO . SERMINIO
VIRO . ORBATA
VIDVITATEM . PIETATE . ET . MODESTIA . ORNAVIT
CHRISTVM . DOMINVM . IN . SACRAMENTO . AVGVSTO
COLVIT . EXIMIE
IN . PAVPERIBVS . ALVIT
DECESS. PRID. ID. FEBR. AN. MDCCCLXIV.
AN. NA. LXXXIII. M. IV. D. XV.
CAROLVS . SACERDOS
FERDINANDVS
ALOISIVS
MATRI . OPTIMAE
POSVERVNT *

* AQVIS TAVRINIS: HVIC VRBI VVLGO AQVIPENDII EST NOMEN.

CCCCIII.

A ☧ Ω

PASCHALI . GABRIELIS . F. NESIO
VIRO . PROBITATIS . ANTIQVAE
MISERICORDI . IN . EGENOS
DECESS. XVIII. KAL. DEC. AN. MDCCCLXIII.
AN. N. LXV. M. II. D. XXVIII.
MAGDALENE . GVERRINIA
CVM . LACRIMIS . P.
PATRI . BENEMERENTI *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCIV.

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
DOMINICVS . BARTHOLOMAEI . F. GORETTVS
DOMO . SVTRIO . GENERE . NOBILI
SACERDOS
STVDIO . ANIMORVM . SIBI . NON . PARCENS
PIE . DECESSIT . V. KAL. OCTOB. A. MDCCCLXIII.
ANNOS . NATVS . XLIX. M. XI. D. III.
NICOLAVS . CVM . LACRYMIS
POSVIT
FRATRI . CONCORDISSIMO *

* ROMAE IN COEMETERIO SANCTI SPIRITVS.

CCCCV.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
IOSEPHVS . MONTIERIVS
DOMO . TRIVICO . IN . HIRPINIS
EPISCOPVS . AQVINATIVM . FREGELLANORVM . ET . SORANORVM
QVIBVS . AD . RELIGIONIS . LEGES . COMPONENDIS
SYNODO . QVINQVIES . ADVOCATA
ANNOS . XXIV . ADLABORAVIT
PVEROS . EX . OMNI . ORDINE . AD . PROBOS . MORES . INSTITVIT
PVELLAS . NOBILI . ET . HVMILI . LOCO . NATAS
INNOCVAS . ET . IN . PVDORIS . DISCRIMEN . ADDVCTAS
SACRIS . VIRGINIBVS . CONCREDIDIT
IVVENES . PIETATE . ET . LITTERIS . PROBATOS
DIVINIS . MYSTERIIS . INITIAVIT
VRBES . OPPIDA . RVRA . VERBO . DEI . EXCOLVIT
VITIIS . FRENVM . INIECIT
XXIV. DOMICILIA . ASSECLIS . EVANGELICAE . SANCTIMONIAE . RECLVSIT
AN. MDCCCLX . FVRORE . PERDVELLIVM . AD . NECEM . CONQVISITVS
SVPELLECTILI . REBVSQVE . OMNIBVS . EXVTVS
ROMAM . IMMIGRANS . APVD . SODALES . S. ALPHONSI . MARIAE . DE . LIGORIO
CVIVS . DISCIPLINAM . ET . PRAECEPTA . ADAMARAT
EXSILII . AERVMNAS . CAELESTI . SEDE . COMMVTAVIT
PRIDIE . EIDVS . NOVEMBRES . AN. MDCCCLXII . ANNOS . NATVS . LXIV.
DOCTRINA . INTEGRITATE . CONTEMPTV . SVI . STVDIO . DEI . GLORIAE
VETERVM . ECCLESIAE . PATRVM . IMAGINEM . RETVLIT *

* ROMAE AD D. N. REDEMPTORIS IN EXQVILIIS.

CCCCVI.

PIO . IX
PONTIFICI . MAXIMO
NOSTRI . MONTIS . IVGA . REVISENTI
NEMORENSES *

SIS. FELIX . O . PATER . ET . PRINCEPS
VIVAS . DE . ANNIS . NOSTRIS
ET . DEO . AVSPICE . LABORES . ITALIAE
ET . AERVMNAS . LEVES **

* In fronte adversa arcus duratei, cum Pius IX P. M. VI Kalendas sextiles anni MDCCCLXIV ex praetorio Arcis Gandulphi adventu optatissimo iterum beavit Nemorenses.

** IN FRONTE AVERSA ARCVS.

CCCCVII.

A ☧ Ω

VINCENTIO . BENEDICTI . F. SBRINCHETTIO
EX . ORDINE . PATRICIO
GNAVO . INDVSTRIO . IN . AGRIS . EXCOLENDIS
PIETATE . ERGA . MAGNAM . DEI . MATREM . INSIGNI
DECES. XII . KAL. IAN. A. MDCCCLXI.
AN. NA. XXXII.
IOANNES. SACERDOS
ANGELVS
ALOISIVS
FRATRI CONCORDISSIMO
P. *

* CORNVETI.

CCCCVIII.

PAVLO . PIAZZESIO
DOMO . ROMA
CVIVS . NOMEN . IN . COLLEGIO . ROMANO . S. I.
VIVET
LAVDE . PIETATIS . EXIMIAE
PETRVS . POSVIT
FILIO . INNOCENTISSIMO
ANIMAM . IN . MARIAE . LAVDIBVS . EXHALANTI
XIV . KAL. SEXST. A. MDCCCXLVI.
CVM . AGERET . ANNVM . XVII . M. VI . D. XVII.
IN . PACE . CHRISTI *

* IN AEDE SACRA VALLIS AVREAE, QVAE ET GALLORVM, APVD ARICIAM (FRVSTRA).

Hac forma IN PACE, IN PACE CHRISTI veteres Christi asseclae titulos funebres persaepe ornabant. Hinc occurrunt variis inflexae modis hae scribendi rationes — ἐν ἐιρηνῃ - ἀγαθὴ ἐιρήνη πᾶσιν - εἰρήνην ἔχετε ἀδελφεῖ - ἐιρήνη σοὶ ἐν ὀυρανῷ - ἐιρηνη ὑμιν πᾶσιν ἐν Θεῷ: ut silentio praeteream bene multos latinos titulos, in quibus legentium animos reficit haec suavis precatio.

CCCCIX.

A ☧ Ω

HEIC . MOESTI . COMPOSVIMVS
IV . NONAS . SEXTILES . A. C. MDCCCLXIV.
SANCTINEM
FILIOLAM . SVAVISSIMAM
ANNO . EXACTO . QVO . VITAM . INIIT
VIVE . IN . DEO
DELICIVM . NOSTRVM
MEMOR . ALOISII . CVRTII . ET . THERESIAE . SOLIMANIAE
PARENTVM *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCX.

1.

IOSEPHO . MARRONIO
ARCHIPRESBYTERO . SPECTATAE . VIRTVTIS
SOLLEMNIA . FVNERIS
AMICI . INSTAVRANT *

* ALBANI. Iosepho Marronio domo Aricia vita functo V idus octobres, cum ageret annum octavum et quadragesimum, amici tantae virtutis icti desiderio parentarunt XVI kalendas novembres. Primus titulus in fronte aedis principis, reliqui in mole funebri.

CCCCXI.

2.

IN . SACRO . EPHEBEO . DISCIPLINAM
PRAESES . PROVEXIT
DIVINAS . HVMANASQVE . DOCTRINAS
SAPIENTER . TRADIDIT
STVDIA . MODERATOR . FOVIT . ALVIT . INGENIA

CCCCXII.

3.

PAVPERES . SIBI . A . DEO . CONCREDITOS
DVXIT
NE . ILLIS . DEESSET
PARCE . VITAM . EXEGIT
PAVPER . DECESSIT

CCCCXIII.

4.

PVEROS . FIDEI . RVDIMENTIS . ERVDIVIT
POPVLVM . RECTE . VIVENDI . RATIONEM
CONCIONIBVS . DOCVIT
AD . VIRTVTEM . INCENDIT

CCCCXIV.

5.

VIGILEM . IN . OMNIVM . MORES
CVRAM . CONTVLIT
VITIA . EVELLERE . BLASPHEMA . ORA . COMPESCERE
LITES . COMPONERE . STVDVIT

CCCCXV.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . QVIETI
MATTHAEI . LAMBERTI . F. DE . FRESCOBALDIS
EX . ORDINE . PATRICIO
EQVITIS . STEPHANIANI
PIETATE . IN . DEVM . ET . MAGNAM . DEI . MATREM
MORVM . SANCTITATE . BENEFICENTIA . IN . PAVPERES
SVORVM . ET . CIVIVM . AMOREM
ET . LAVDES . ADEPTI
QVI . FILIIS . HORTATV . ET . EXEMPLO
AD . VIRTVTEM . INSTITVTIS
RE . FAMILIARI . AMPLIFICATA
DECESSIT . IV . IDVS . APRILES . A. C. MDCCCXLI.
ANNOS . NATVS . LXXXI.
FILII . CVM . LACRVMIS
P. *

* FLORENTIAE.

CCCCXVI.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . NOMINI
IOANNIS . LAVRENTII . F. ROMANELLII
SACERDOTIS
E . COLLEGIO . PRINCIPE . PATRVM . CANONICORVM
QVEM . ELOQVENDI . ET . SCRIBENDI . FACVLTAS
SOLERTIA . IN . FINGENDIS . AD . VIRTVTEM
ET . BONAS . ARTES . ADOLESCENTIBVS
COLLEGIS . ET . CIVIBVS . PROBARVNT
DECES. V . IDVS . IVNIAS . AN. MDCCCLXI.
AN. N. XXVIII.
AVDITORES . RHETORICES
DOCTORI . BENEMERENTI
QVEM . PATRIS . LOCO . OBSERVARVNT
CVM . LACRIMIS . P. *

* TVSCANIAE IN PROVINCIA VITERBIENSI (frustra).

CCCCXVII.

A ☧ Ω

HEIC . CORPORE . TRANSLATO
AB . AGRO . FREGELLANO . S. IOANNIS
VBI . A . COPIIS . SVBALPINIS . REGNVM . FRANCISCI . II.
INVADENTIBVS . PEREMPTVS . EST
III . IDVS . NOVEMBRES . A. MDCCCLXI.
QVIESCIT
ALPHREDVS . GILLO . GISLENVS
DE . TRAZEGNIES . ET . DE . ITTRE . MARCHIO
CAROLI . ET . RAPHAELIS . DE . RAMREE . F.
ANNOS . NATVS . XXIX . M. II . D. XIV.
DOMO . NAMVRCO
TRIDVO . ANTE . SE . ROMAE . SACRO . CHRISTI . DOMINI
CORPORE . REFECERAT
TE . IN . PACE . CHRISTVS *

* ROMAE IN SACRA AEDE BELGARVM.

CCCCXVIII.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLIV.
XV . KALENDAS . IVNIAS
D. N. PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
BASILICAM . IOANNIS . ET . PAVLI . MARTYRVM . INIIT
CHRISTVM . DEVM . IN . SACRAMENTO . AVGVSTO . VENERATVS
NOBISCVM . HEIC . DISCVBVIT
MERIDIATVM . IN . PROXIMVM . CONCLAVE . SECESSIT
SODALES . A . PASSIONE . IESV . HVMANITATE . ET . ALLOQVIO
BEAVIT *

* ROMAE IN TRICLINIO COENOBII SODALIVM A PASSIONE D. N. IESV IN MONTE COELIO.

CCCCXIX.

A ☧ Ω

HEIC . SITA . EST
HELENA . HELPENORIS . FRANCATI . COMITIS . F.
VIRGO
PIA . FRVGI . MVNIFICA
QVAE . OPES . SVAS
PATRIAE . EA . LEGE . TRANSMISIT
VT . SACRAE . EXERCITATIONES . QVOTANNIS
AD . CIVES . ET . PROXIMOS . PAGOS
HABERENTVR
DECES. V . KAL. SEXSTILES . A. MDCCCLIX.
ANNOS . NATA . XXXIX.
HERCVLES . DE . CONSTANTIIS . AVVNCVLVS
POSVIT
AVE . HELENA . SVAVISSIMA
VIVE . IN . DEO *

* In graecis et latinis veterum christianorum titulis saepe occurrit haec forma, qua superstites vita functis fausta precabantur: VIVE IN DEO - VIVE CVM SANCTIS - VIVAS IN CHRISTO. Consule Lupium S. I., Boldettum, Bosium, Aringhium, in quibus nescio an eruditionem, an pietatem prius commendem. Consule et Corpus Inscriptionum Graecarum quamvis a male in rem christianam, quam arrepta occasione carpunt, animatis compactum.

CCCCXX.

HEIC . VBI . MAGNAE . DEI . MATRIS
CVLTVM . PROVEXIT
IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
NICOLAVS . IOSEPHI . F. MARCACCIVS
EX . OPPIDO . S. BENEDICTI . AD . SEPTIMVM
E . COLLEGIO . PATRVM . CANONICORVM . AEDIS . PRINCIPIS
PIETATE . LITTERIS . SCIENTIA . IVRIS . SACRI . ET . THEOLOGIAE
AD . ANIMARVM . LVCRA . INSTRVCTVS
CORDIS . D. N. MARIAE . AB . ORIGINE . IMMACVLATAE
SODALITIVM . AVCTOR . ET . PRAESES . CONSTITVIT
EX . EOQVE . VBERRIMOS . IN . REM . CHRISTIANAM . FRVCTVS . EXTVLIT
PVELLAS . AD . PVDOREM . MATRESFAMILIAS . AD . LIBERORVM . INSTITVTIONEM
OMNES . AD . PIETATEM . EFFINXIT
AERVMNOSOS . AEGROTOS . PAVPERES . CARITATE . COMPLEXVS
CAELESTIA . IVGI . COMMENTATIONE . RETRACTANS
DECESSIT . PRID . ID . QVINTIL . AN . MDCCCLXIV
ANNOS . NATVS . LV . M . V . D . I
OMNIVM . ORDINVM . DESIDERIO . ET . LACRVMIS
AD . TVMVLVM . DEDVCTVS
AVE . SACERDOS . CASTISSIME
ET . VIVE . IN . DEO *

* PISIS.

CCCCXXI.

1.

CHRISTO . DEO
AETERNI . PATRIS . VNIGENAE
LAVDES . ET . GRATIARVM . ACTIO
QVOD . EIVS . AFFLATV . ET . NVMINE
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
MARGARITAM . MARIAM . ALACOQVE
VIRGINEM . EX . DISCIPLINA . FRANCISCI . SALESII
DIVINI . CORDIS . THESAVROS . HOMINIBVS . APERIENTEM
CAELITVM . BEATORVM . HONORIBVS .
AVGET *

* Tituli propositi in Basilica Vaticana XIV Kalendas octobres. — Primus titulus in fronte Basilicae: reliqui in pronao et parietibus cellae maximae.

CCCCXXII.

2.

B. MARGARITA . MARIA
XI . KALENDAS . SEXTILES . A. CHR. MDCXLVII
IN . PAGO . AVGVSTODVNENSIS . PROVINCIAE . VITAM . INIT
CLAVDIO . ALACOQVE . ET . PHILIBERTA . LAMYN . PARENTIBVS
EXACTA . PVRE . ET . CASTE . DOMI
ET . APVD . VIRGINES . CLARALES . ADOLESCENTIA
NVPTIIS . POSTHABITIS . DISCIPLINAM . FRANCISCI . SALESII
SECTATVR . PAREDI . APVD . AVGVSTODVNVM
VOTIS . NVNCVPATIS . VIII . IDVS . NOVEMBRES . A. MDCLXXII
IVNIORES . AD . SANCTIORIS . VITAE . RATIONES . INSTITVIT
SOCIAS . CHRISTI . DEI . AMORE . INCENDIT *

* Oppidum Parey reddidi latine Paredum perantiquis monumentis innixus, quae diligenter Marrier et Quercetanus collegerunt in Bibliotheca Cluniacensi, pag. 426, 440, 1441, 1511 et in appendice pag. 93. Item Mabillonius lib. XLVII num. 51, et lib. LI num. 101 Annal. Ordinis S. Benedicti Paredum usurpat, uti et Martinier. Contra ea Morerius, Ferrarius, et Boudrand Pareium vertunt.

CCCCXXIII.

3.

DEVM . IN . ANTISTITA . ET . PRAESIDIBVS
VERETVR
EORVM . IVSSA . ET . NVTVS
CEV . DEI . MANDATA . FACESSIT

4.

CONSILIA . ET . VOLVNTATVM . ABDITA
INTROSPICIT
EVENTVRA . PROCVL . VIDET

5.

ANTE . CHRISTVM . DEVM
IN . ARA . LATENTEM
NOCTES . SOLIDAS . GENIBVS . NIXA
PERSTAT . IMMOTA

CCCCXXIV.

6.

B. MARGARITAE
ORANTI . CHRISTVS . IESVS . HVMANA . SPECIE
ADEST . PECTVS . PANDIT
COR . FLAMMIS . AESTVANS . SPINEO . SERTO . REVINCTVM
VVLNERE . SAVCIVM . CRVCE . SVPERNE . INFIXA
OSTENDIT
EAMQVE . IVBET . MORTALIBVS
DIVINAM . DE . SVI . CORDIS . CVLTV
MENTEM . APERIRE

CCCCXXV.

7.

CHRISTO . DEO . DOCENTE . DISCIT
QVAE . MVNERVM . CAELESTIVM . COPIA
IN . CORDIS . DIVINI . CVLTORES
EXVBERET

8.

VNI . DEO . HAERET
EIVSQVE . AMORE . CORREPTA
EMORITVR . MVNDO
VT . CHRISTO . SPONSO . VIVAT

CCCCYXVI.

9.

DONA . SIBI . A . DEO . COLLATA
SILENTIO . OCCVLIT
SEQVE . STVLTAM
FALSISQVE . DVCTAM . IMAGINIBVS
HABERI . GAVDET

CCCCXXVII.

10.

FESTO . DIE . MARGARITAE . MARTYRIS
AN. CH. MDCLXXXV
QVVM . MAGISTRAM . ALACOQVE . MVNERARE
CVPERENT . TIRVNCVLAE
ET . HAEC . ABNVERET . VNIQVE . CORDI . IESV
MVNVSCVLA . DEFERRI . SVADERET
PRIMITVS . DIVINI . CORDIS . IMAGO
TAENIIS . ET . FLORE . REDIMITA
PROSTITIT . PAREDI . IN . VIRGINVM . SALESIAN. CONCLAVI
ET . VOTA . ET . PRECES . AVDIIT . CLIENTIVM

CCCCXXVIII.

II.

CAELESTI . ACCITV
SE . E . VITAE . AERVMNIS . BREVI
EVOCANDAM . NOSCENS
CVRIS . OMNIBVS . SOLVTA . VNI . DEO
QVADRAGINTA . DIES . VACAT
EIVSQVE . AMORE . ABSVMITVR
XVI . KAL. NOV. MDCCXC.

CCCCXXIX.

12.

MARIA . TERESIA . PETITIA
VIRGO
VITIO . PRAECORDIORVM . DEPOSITA
B. MARGARITAM
OPEM . ROGAT
CONVALESCIT

CCCCXXX.

13.

MARIAM . CHARAVLT
VIRGINEM . SALESIANAM
PEREDEBAT . CANCER . IN . ORE . STOMACHI
ADEST . VOCATA . B. MARGARITA
OMNE . VESTIGIVM . CANCRI . EVANESCIT

CCCCXXXI.

14.

ALOISIA . PHILIPPINA . BOLLANIA
VIRGO
TABE . PECTORIS . VIX . TRAHEBAT . ANIMAM
MARGARITAE . PRAESIDIO
VIRIBVS . INTEGRIS . EXSVRGIT

CCCCXXXII.

15.

COR . VT . REDAMETVR . EXHIBET *
INTER . DEI . ET . HOMINVM . CORDA
CASTI . FOEDERIS . SEQVESTRA **

* In fronte adversa numismatis referentis imaginem Christi Dei.
** In fronte aversa, quae B. Margaritam orantem exprimit.

CCCCXXXIII.

1.

LAVRENTIO . SIGNANIO
FRATRI . CAPVLATO . EX . DISCIPLINA . FRANCISCI . PATRIS
PONTIFICI . SVTRINO . ET . NEPESINO
Θ . IV. NONAS . SEPTEMBRES . AN. MDCCCLXIII.
PACEM . A . DEO . CAELESTEM
ADPRECEMVR *

* ROMAE ad D. N. Mariae ab origine Immaculatae, cum solemni ritu Laurentio Signanio parentatum est: primus titulus in fronte aedis sacrae reliqui in mole funebri.

CCCCXXXIV.

2.

DOMESTICAE . CVSTOS . DISCIPLINAE
DOCTRINA . ET . PIETATE
SODALIBVS . PRAELVXIT
IVNIORES . AD . VIRTVTEM
VOCE . ET . EXEMPLO
EFFINXIT

3.

CONCREDITO . GREGI . ADVIGILANS
VITIIS . FRAENVM . INIECIT
BLASPHEMA . ORA . COMPRESSIT
DEI . CVLTVM . FOVIT

CCCCXXXV.

4.

SVTRII . SACRVM . EPHEBEVM . CONSTITVIT
SAPIENTIBVS . LEGIBVS . COMMVNIVIT
OPTIMAE . SPEI . ADOLESCENTES
IN . ECCLESIAE . DECVS . ET . PRAESIDIVM
EDVXIT

CCCCXXXVI.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CRISTI . QVIESCIT
LAVRENTIVS . SIGNANIVS
DOMO . BRESEGELLA . IN . AEMILIA
QVI . FRANCISCI . PATRIS . DISCIPLINAM
FRATER . CAPVLATVS . AMPLEXVS
MAGISTERIA . ORDINIS . SAPIENTER . OBIVIT
CONCIONES . IN . SACRARIO . PONTIFICALI . OCTO . ANNOS . HABVIT
AD . SVTRINVM . ET . NEPESINVM . PONTIFICATVM . EVECTVS
SACRVM . EPHEBEVM . SVTRII . CONSTITVIT
NEPETE . CENSIBVS . FIRMAVIT
IACOBI . APOSTOLI . AEDEM . ET . COENOBIVM
SVMPTV . SVO . INSTAVRATA
ALVMNIS . ECCLESIAE . SVTRINAE . AD . RVSTICANDVM
PRESBYTERIS . AD . CAELESTIA . LIBERIVS . RETRACTANDA . ATTRIBVIT
AEDIBVS . SACRIS . DECVS . INSTAVRATIONE . ET . SVPELLECTILI . AVXIT
PIETATEM . CONCIONIBVS . FIDEIQVE . RVDIMENTIS . FOVIT
ECCLESIAE . SVTRINAE . ET . NEPISINAE . ET . PAVPERIBVS
OMNIA . SVA . TESTAMENTO . TRANSCRIPSIT
PIE . DECESSIT . IV . NONAS . SEPTEMBRES . A . MDCCCLXIII
ANNOS . NATVS . LIX
OMNIVM . ORDINVM . DESIDEBIO . ET . LACRIMIS *

* Sutrii in aede principe

CCCCXXXVII.

A ☧ Ω

ADELAIDI . IOSEPHI . MAMBOR . F.
VXSORI . IVSTINI . TAVANII
QVAE . PIETATE . DEVM . BENEFICIIS . PAVPERES
CVRA . REI . DOMESTICAE . SVOS
SIBI . DEMERVIT
DECES . KAL. SEXST. AN. MDCCCLXIII.
ANNOS . NATA . XLVIII . D. XXVIII.
MARITVS
IVDITHA . ET . FRANCISCA . FILIAE
CVM . LACRVMIS . POSVERVNT *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCXXXVIII.

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
ANGELVS . RENZETTVS
DOMO . VALIDO . IN . VMBRIA
SVBCENTVRIO . PEDITVM . TRANQVILLITATI . PVBLICAE . TVENDAE
PIETATE . IN . DEVM
FIDE . IN . MVNERE . OBEVNDO . EXIMIA
DECESS. IX. KAL. SEPT. A. MDCCCLXIV.
ANNOS . NATVS . LVII.
VRSVLA . DE . SANCTIS
POSVIT
MARITO . OPTIMO . CARISSIMO *

* Algidi in collibus Tusculanis, cui oppido nomen ROCCA DI PAPA; quamvis aliis alia sit mens.

Validum nomine leviter inflexo respondet oppido GVALDO.

Subcenturio est ex Livio alter a centurione, eumque dicimus LVOGOTENENTE.

COHORS TRANQVILLITATI vel SECVRITATI PVBLICAE TVENDAE vel contractius COHORS A SECVRITATE PVBLICA respondet AI CARABINIERI A PIEDI: EQVITES vel TVRMA EQVITVM A SECVRITATE PVBLICA respondet AI CARABINIERI A CAVALLO.

CCCCXXXIX.

A ☧ Ω

HEIC . SITVS . EST
HIERONYMVS . LANGELIVS
ALBERTI . ET . MARIAE . DE . DOMINICIS . F.
QVEM . EGREGIA . MORVM . ET . DOCTRINAE . INSTITVTIO
AD . OMNEM . LAVDEM . EVEXIT
A . SECRETIS . SACRO . CONSILIO . NOSOCOMIIS . ADMINISTRANDIS
VICARIA . POTESTATE . PRAEPOSITVS . COETVI . S. VINCENTII . A. PAVLO
AEGROTORVM . ET . PAVPERVM . COMMODIS . ADVIGILAVIT
FILIOS . EX . ANGELA . VALENTINA . SVSCEPTOS
AD . PIETATEM . EFFINXIT
DIEM . SVVM . OBIIT . PRID. ID. SEPT. AN. MDCCCLXI.
ANNOS . NATVS . XLV. M. VII. D. XII.
LOCO . SEPVLCRI . OB . MERITA . ATTRIBVTO
A . SODALIBVS . A. V̄. VVLNERIBVS . CHRISTI . DOMINI
AVE . HIERONYME . ET . VIVE . IN . DEO
MEMOR . TVORVM . ET . COLLEGAE . QVI . TITVLVM . SCRIPSIT *

* ROMAE AD S. LAVRENTII AD THEATRVM POMPEII.

Non abs re erit monere, me extrema verba exegisse ad imaginem graeci tituli (Corp. Inscr. Graec. 9504) in quo vita functus exoratur, ut memor sit superstitum, qui titulum exararunt, et marmori insculpserunt.

CCCCXL

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . QVIETI
LAVRENTII . DE . ROSSI . SACERDOTIS
INGENIO . PIETATE . LITTERIS
ABSTINENTIA . PECVNIAE . NEGLECTV . HONORVM
CARITATE . IN . EGENOS
DEI . GLORIAE . STVDIO
CIVIVM . AMOREM . ET . LAVDES . PROMERITI
DECESS. VIII. KAL. SEPT. A. MDCCCLXII.
AN. N. LXXII. M. III. D. XVIII.
CIVES . COLLATA . PECVNIA
POSVERVNT
VIRO . VIRTVTIS . EXIMIAE *

* Pedi: hoc nomine urbem, quam Zagarolum dicunt, appellari gravibus nixus argumentis ostendit Nibbyus, et a Cluverii sententia discedit, qui Labicum inibi constituit. (Frustra.)

CCCCXLI.

A ☧ Ω

BALTHASARI . CIAMPIO
VIRO . PIENTISSIMO
Θ. IV. KALENDAS . IVN. A. MDCCCLXIV.
AN. NA. LXXXII.
ET . LVCIAE . ROSSETTAE
MATRIFAMILIAS . SPECTATISSIMAE
Θ. XV. KAL. IVN. A. MDCCCLX.
ANNOR. LXXVI.
ADELAIS . HERES
POSVIT
PARENTIBVS . SVAVISSIMIS *

* ROMAE AD IESV ET MARIAE.

CCCCXLII.

PIO . IX . PONTIFICI . MAXIMO
AMPLIFICATORI . CHRISTIANI . NOMINIS
CVIVS . SAPIENTIA . ET . LIBERALITATE
COLLEGIVM . LATINVM . AMERICAE
CONSTITVTVM . EST . A. MDCCCLVIII.
AEDES . COEMPTAE . INSTAVRATAE . AVCTAE
SACRARIVM . INAEDIFICATVM . SVPELLECTILI . INSTRVCTVM
BIBLIOTHECA . LECTISSIMIS . VOLVMINIBVS . DITATA
RVS. AVRELIA . VIA . ATTRIBVTVM
CENSVS . ADDICTI
MODERATORES . ET . ALVMNI
PRINCIPIS . OPTIMI . ADSPECTV . ET . ALLOQVIO
ERECTI . EXHILARATI . XI. KAL. DECEMBRES . A. MDCCCLXIV.
FVNDATORI . ET . PARENTI *

* ROMAE IN BASI SIGNI.

CCCCXLIII.

CAMILLO . DE . PETRO
PATRI . CARDINALI
CIVITATIS . NOSTRAE . PRAESIDIVM
ET . TVTELAM . INEVNTI
MENSE . OCTOBRI . AN. CHR. MDCCCLXIV.
OMNIVM . ORDINVM . GRATVLATIONE . PLAVSV
MVNICIPIVM . BALNEOREGIENSE *

* In basi signi argentei Moisis ex ingenio Bonarroti.

CCCCXLIV.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
CVM . FILIIS
IOANNE . ANNOR. XI. MENS . IX.
MORT. AN. MDCCCLXIII.
ET . FRANCISCA . MENS . VIII.
MORT. A. MDCCCLIII.
FRANCISCVS . BARBOSIVS
FRVGI . TENAX . RECTI
RELIGIONIS . SERVANTISSIMVS
DECES. XVII. KAL. MAIAS . AN. MDCCCLII.
ANN. N. P. M. XLV.
MARIA . CASOGLIA . CVM . LACRIMIS
POSVIT
MARITO . ET . FILIIS
QVIBVSCVM . SIBI . SEPVLCRVM . ELEGIT *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCXLV.

Α ☧ Ω

ANNAE . ALOISIAE . MONTOYA
FILIAE . IOSEPHI . LEGATI . MEXICANI . AD . ROM. PONT.
VXSORI . PII . DEL . BVFALO . DELLA . VALLE . MARCHIONIS *
INGENIO . LITTERIS . PIETATE
BENEFICENTIA . IN . PAVPERES . INSIGNI
VITA . FVNCTAE . V. KAL. OCT. A. MDCCCLVI.
CVM . AGERET . ANNVM . XXVI.
PHILIPPVS . ANDREAS . AB . AVRIA . PRINCEPS . CVR. TEST.
POSVIT
FEMINAE . SPECTATISSIMAE *

* ROMAE AD MARIAE D. N. IN CAPITOLIO.

CCCCXLVI.

☧ ☧

IOSEPHO . QUARONIO
Θ. VII. KAL. IAN. A. MDCCCLVII. ANNOR. LXXII.
ET . ANNAE . MARIAE . ANTONIOLAE
Θ. XIII. KAL. MART. A. MDCCCLVII. ANNOR. LXII.
PARENTIBVS . SVAVISSIMIS
PETRVS . CAROLVS . IACOBVS . IOSEPHA . ET . PHILOMENA
POSVERVNT
EODEM . SIBI . ET . POSTERIS
COMPARATO . HYPOGAEO *

* ROMAE.

CCCCXLVII.

Ω ☧ A

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
ANGELA . ROSA · IOANNIS . RENZARELLII . F.
QVAE . NVPTA . AVGVSTO . AMMANNITO
PVERPERA . DECESSIT
IDIBVS . NOVEMBRIBVS . AN. MDCCCLXII.
ANNVM . AGENS . XX.
MARITVS . POSVIT . VXORI . FIDISSIMAE *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCXLVIII.

IACOBVS . CIANIVS
ARCHIPRESBYTER
PIETATE . DOCTRINA . MODESTIA
DIVINAE . GLORIAE . STVDIO
IN . EXEMPLVM . ELVXIT
VIRGINES . SACRAS . AD . VIRTVTEM . EXCOLVIT
XXX. ANNOS . CVRIAE . PETRI . APOSTOLI . PRAEFVIT
NVLLIS . PARCENS . LABORIBVS
VT . RELIGIO . PROBIQVE . MORES
SANCTE . SERVARENTVR
PVELLIS . E . PLEBE . GYMNASIVM . RECLVSIT
EIQVE . OMNIA . SVA . TESTAMENTO . TRANSCRIPSIT
SACRARIVM . CHRISTO . DOMINO . CRVCI . SVFFIXO
A . FVNDAMENTIS . EXCITAVIT
QVOD . FELICITER . ABSOLVTVM
RITE . LVSTRATVM . EST . III. NONAS . OCTOB. A. MDCCCLIX
A . IOANNE . BENEDICTO . FOLICALDIO . COM. PONTIFICE . N.
AEDEM . CVRIALEM . A . SOLO . EREXIT
SVPELLECTILI . ORNAVIT
ADSTRVCTIS . AD . INCOLENDVM . CONCLAVIBVS
IN . EA . CONDITVS . EST . IN . PACE . CHRISTI
VII. KAL. OCTOBRES . A. MDCCCXLIII.
ANNOS . NATVS . P. M. LXXIII.
DE . RELIGIONE . EXIMIE . MERITVS *

* FOGNANI APVD FAVENTIAM : SVB SIGNO MARMOREO.

CCCCXLIX.

A ☧ Ω

HEIC . AD . IOANNEM . BAPTISTAM . SACERDOTEM . FRATREM
APPOSITVS . EST
PETRVS . TRIOSSIVS
E . COLLEGIO . PATRVM . CANONICORVM . AEDIS . PRINCIPIS
MORIBVS . SVAVISSIMIS
QVI . SVI . RERVMQVE . SVARVM . CVRAM
LVCRANDIS . DEO . ANIMIS . POSTHABVIT
VNICE . AMAVIT . CAELESTIA
PAVPERRIMAM . VITAM . QVO . PAVPERES . ALERET . DVXIT
MAGNAE . DEI . PARENTIS . CVLTVM . FOVIT . PROVEXIT
REPENTINO . EXITV . DECESSIT
FESTO . DIE . VIRGINIS . PVERPERAE . PERLITANTIS . AN. MDCCCLXIV.
ANNOS . NATVS . LXI. M. VIII. D. I.
AVE . ET . VIVE . IN . DEO . SACERDOS . CASTISSIME
TVVM . NOMEN . GRATI . RECOLENT . CIVES *

* RAVENNAE.

CCCCL.

PIO . IX
PONTIFICI . MAXIMO
SEMPER . VICTORI *

FRANGIT . ADVERSOS **

* In fronte arcus duratei, cum D. N. Pius IX. Pontifex Maximus nonis septembribus anni MDCCCLXIV ex praetorio Arcis Gandulphi Montem Portium adiit.

** Sub signo Constantiae inibi constituto.

Ne quis mihi vitio vertat, quod Pium IX P. M. victorem, hac praesertim temporum asperitate salutaverim, neve haec loquendi ratio assentationem legenti oleat, is ad animum referat verba, quibus Innocentium II gravibus laborantem curis affatur Petrus Cluniacensis: « Recordamini, Ecclesiam semper laboribus crevisse, passionibus multiplicatam esse, tolerantia CVNCTA RESISTENTIA EVICISSE. » Epist. I. lib. I. Bibl. Max. Patr. tom. 22. pag. 826. edit. Lugdun.

CCCCLI.

A . CONCEPTVS . IMMACVLATI . DOGMATE
DECENNALIA
FELICITER

1.

MARIA
MAGNA . DEI . PARENS
OPIS . TVAE . EST
SI . MISCENTE . ITALIAM . TVMVLTV
ROMA
LAETOS . ET . SINE . METV . DIES
AGAT

2.

CHRISTIANI . NOMINIS . GLORIA
CREVIT
PVLCHRIOR . PII . IX . VIRTVS
FVLSIT
A . ROMANIS . ARCIBVS . AD . EXTREMOS . IAPONES

CCCCLII.

3.

MARIA
TVTELA . PRAESENS . QVIRITIVM
PRORVE
NEFASTAS . IMPIORVM . TECHNAS
QVI . HORRENDAM . ROMAE
CLADEM . MEDITANTVR

4.

MARIA . SANCTA
CVM . TE . IN . VOTA . VOCAMVS
MALORVM . OBLIVISCIMVR
ET . SPE. FIRMA . ERECTI
DIEM . TRIVMPHI . PRAECIPIMVS

CCCCLIII.

5.

MARIA
BONA . SPECTES . VATICANAM . ECCLESIAE . ARCEM
BONA . SPECTES . SEPTENOS . COLLES
BONA . SOSPITES
PIVM . IX

6.

PIE . IX . PATER . ET . MAGISTER
IVRAMVS . IN . HAEC
TE . FORTI . SEQVEMVR . PECTORE
PARATI . OMNE . TVVM . PERICVLVM
SVBIRE . NOSTRO

CCCCLIV.

☧ ATHANASIVS . DE . CHARETTE . VIVENS ☧
SIBI . ET . ANTONIAE . DE . FITZ-IAMES . VXORI . Θ *

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
MARIA . ANTONIA . IACOBI . DE . FITZ-IAMES . DVCIS . F.
COMIS . PIA . PVDICA
QVAE . DOMI . ET . APVD . VIRGINES . A . CORDE . D. N. IESV
AD . OMNEM . VIRTVTIS . LAVDEM . INSTITVTA
IMMORTALIA . HVMANIS . ANTETVLIT
ROMAM . RELIGIONIS . STVDIO . IMMIGRANS
ATHANASIO . DE . CHARETTE . DYNASTAE
COHORTIS . AVXILIARIS . DVCTORI . NVPTA
VIRI . AMOR . ET . DELICIVM . XXX. MENS . FVIT
MORBO . EXTREMO . LABORANS
CHRISTI . CORPORE . QVOTIDIE . REFECTA
DECESS. XI. KAL. FEBR. AN. MDCCCLXV.
AN. NA. XXVII.
OMNIVM . BONORVM . ET . PII . IX. PONTIFICIS . MAXIMI
PRAECONIO . ET . DOLORE . HONESTATA
VALE . CONIVX . FIDISSIMA
VIVE . IN . DEO . MEMOR . ATHANASII . TVI **

ROMAE IN COEMETERIO.

* In limine supero conclavis sepulcralis.

** Ad laevam conclavis.

In medio pariete colores udo illiti exhibent Pastorem ad cuius pedes duae adstant oves: hinc atque hinc columbae ramis arboris insident. His aliisque imaginibus veteres Christi Dei asseclae in coemeteriis sublimia religionis mysteria et suavissimos pietatis affectus referebant.

CCCCLV.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRIST
ERNESTA . DE . CORIOLIS
VIRGO . A . CORDE . D. N. IESV
COLLEGIVM . N. MODERATA . EST
SVAVITATE . ET . EXEMPLO
DECES. IX. KAL. SEXTIL. A. MDCCCLXIV.
AN . NA. LVI. M. V.
VIVAS . IN . DEO *

* Bellovacis in Gallia in coemeterio Virginum a Corde D. N. Iesu.

CCCCLVI.

A ☧ Ω

HEIC . CORPORE . TRANSLATO . QVIESCIT
EMMANVEL . IOSEPHVS . MOSQVERA
ARCHIEPISCOPVS . S. FIDEI . BOGOTENSIS
VITAE . INTEGRITATE . IVRIS . PONTIFICII . SCIENTIA
ELOQVENDI . FACVLTATE . PRAESTANS
RELIGIONIS . EDICTA . ET . LEGES . ASSERVIT . VINDICAVIT
SOCIETATEM . IESV . IN . NEOGRANATENSEM . REGIONEM . ACCIVIT
ADOLESCENTES . IN . ECCLESIAE . SPEM . DOCTRINA
ET . VIRTVTE . EDVXIT
NEFARIOS . COETVS . DIVINIS . CODICIBVS . CORRVMPENDIS
EDENDIS . DISSEMINANDIS . DISPVLIT
MOTVVM . CIVILIVM . AVCTORES . SACRA . INVADENTES . COERCVIT
AERVMNIS . EXILIO . INSECTATIONIBVS . MAIOR
DECESSIT . MASSILIAE . ROMAM . PETENS
IV. IDVS . DECEMBRES . A. MDCCCLIII.
ANNOS . NATVS . LIII. M. VIII. D. I.
PII . IX. P. M. DOLORE . ET . LAVDIBVS . HONESTATVS
EMMANVEL . MARIA . EXILII . SOCIVS
FRATRI . CONCORDISSIMO . P. *

* LVTETIAE PARISIORVM IN HYPOGAEO ARCHIEPISCOPORVM PARISIENSIVM.

CCCCLVII.

1.

PHILIPPO . COLLOREDO
HIERONYMI . S. SOPHIAE . MARCHIONIS . F.
DOMO . VTINO
EQVITI . MAIORI . HIEROSOLYMARIO
VITA . FVNCTO . RECINETI . IN . PICINO
VII. IDVS . OCTOBRES . A. MDCCCLXIV.
CVM . AGERET . ANNVM . LXXXV.
LVX . A . DEO . CAELESTIS
AFFVLGEAT *

* Romae ad S. Crucis in clivo quirinali, cum ab equitibus melitensibus solemni ritu IV idus novembres a. MDCCCLXIV ei parentatum est. Uterque titulus in mole funebri.

CCCCLVIII.

2.

HVMANITATE . BENEFICENTIA . CONSILIO
DE . OMNIBVS . EXIMIE . MERITVS
IN . MVNICIPII . PRAEFECTVRA
INCERTORVM . PATRVM . PROLI . CONSVLVIT
ARTIFICVM . INOPIAM . LEVAVIT
PATRIAE . DECORI . PROSPEXIT

CCCCLIX.

PIO . IX . PONTIFICI . MAXIMO
QVI . DECESSORVM . SVORVM
PASCHALIS . II. EVGENII . III. ALEXANDRI . III.
LVCII . III. INNOCENTII . III.
HONORII . III. TEMPLVM . N. A. SE . EXTRVCTVM
MAGNAE . DEI . MATRI . ET . IOANNI . ET . PAVLO . MARTYRIBVS
SOLEMNI . RITV . DEDICANTIS . A. C. MCCXVII.
ET . GREGORII . IX.
DOMVM . N. ADEVNTIVM
EXEMPLA . AEMVLATVS
IDIBVS . MAIIS . A. MDCCCLXIII.
FRVSINONE . DIGREDIENS
OPTATISSIMO . ADVENTV . COENOBIVM . N. BEAVIT
CHRISTVM . DOMINVM . IN . AEDE . SACRA . VENERATVS
HOC . IN . CONCLAVI
MONACHOS . AD . BERNARDI . PATRIS . VESTIGIA . PERSEQVENDA
COHORTATVS . EST
NOBILESQVE . CONVENAS . HVMANITATE . ET . ALLOQVIO . EST . DIGNATVS
MICHAEL . ANGELVS . GALLVCCIVS . ABBAS
PARENTI . OPTIMO . INDVLGENTISSIMO *

* IN AVLA COENOBII CASAEMARII SVB SIGNO PII IX. P. M.

CCCCLX.

IDIBVS . MAIIS . A. MDCCCLXIII.
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
EX . HOC . MOENIANO
POPVLVM . CONFERTISSIMVM
E. FINITIMIS . VRBIBVS . OPPIDIS . ET . PAGIS . CONFLVENTEM
ET . LAETISSIMO . CLAMORE . PLAVDENTEM
SALVTARI . PRECATIONE . LVSTRAVIT *

* IN COENOBIO CASAEMARII

CCCCLXI.

A ☧ Ω

ANDREAE . PIGIANIO . ET . BARBARAE . CONIVGI
ET . THOMAE . DOMINICO . PETRO . IACOBO . PHILIPPO . ANGELAE . FILIIS
MONVMENTVM . QVOD . THOMAS . PARENTIBVS . FRATRIBVS . SIBI
TESTAMENTO . EXCITARI . IVSSERAT
PETRVS . IACOBI . ET . CAROLINAE . VALERIAE . F.
HERES . EX . ASSE . THOMAE . PATRVI . BENEMERENTISSIMI
IN . MENSIS . NVMMARIIS . REGENDIS . SOLERTIS . INTEGERRIMI
VITA . FVNCTI . XVII. KAL. SEXTIL. A. MDCCCLXIII. AN. NA. LXXX.
POSVIT . ET . ANDREAE . SACERDOTI . FRATRI . OPTIMO . SVAVISSIMO
A . SECRETIS . LARGITIONVM . D. N. PII . IX. P. M.
PIETATE . INGENIO . LITTERIS . STVDIO . ERGA . DIVINVM . COR . IESV
CARITATE . IN . EGENOS . CVRA . IN . ANIMIS
A . VITIIS . AD . VIRTVTEM . TRADVCENDIS
KLERI . ROMANI . DECORI . ET . SPEI
QVI . CHRISTI . CAVSAM . DVCENS . SVAM
VITAM . PRO . PETRI . SEDE . DEO . OBTVLIT
VOTI . COMPOS . DECESSIT . VIII. KAL. NOV. A. MDCCCLXI. AN. N. XXIX. *
VIVITE . IN . CHRISTO

* ROMAE AD S. MARIAE IN FORO MINERVAE.

CCCCLXII.

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
ACHILLES . STEFONIVS
MERCATOR
PIETATE . MODESTIA . CVSTODIA . RELIGIONIS
MORVM . SVAVITATE
OMNIBVS . CARVS
GALLORVM . ET . ANGLORVM . LINGVAM . ITA . CALLVIT
VT . APVD . EAS . GENTES . NATVM . ET . ALTVM . DIXERIS
DECESSIT . KAL. APRIL. A. MDCCCLXV.
AN. N. XXXIX. M. III. D. XII.
PASCHALIS . ET . MAGDALENE . PARENTES
VINCENTIVS . FRATER
ANNVNTIATA . SOROR
VRSVLA . VXSOR
CAROLVS . FILIVS
CVM . LACRVMIS . POSVERVNT *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCLXIII.

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
ACHILLES . MARIA . ANTELMYVS
VERI . RECTIQVE . TENAX
D. N. MARIAE . PERDOLENTIS . CVLTOR . EXIMIVS
CVIVS . NOMEN . VSVRPANS
DECESSIT . PRID. NON. DECEMB. A. MDCCCLXIII.
ANNOS . NATVS . LXVI. M. XI. D. IV.
ROCHVS . CVM . LACRIMIS
POSVIT
PATRI . OPTIMO *

* IN OPPIDVLO APVD BARIVM.

CCCCLXIV.

XIII. KAL. MAIAS . A. MDCCCLXV.
SAECVLO . SECVNDO . EXEVNTE
EX . QVO . CAELITVM . SANCTORVM
HONORIBVS . AVCTVS . EST
FRANCISCVS . SALESIVS
EPISCOPVS . N. ET . PATRONVS
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ
EPISCOPI . KLERI . ET . POPVLI
ANNECIENSIS *

* In fronte aversa nomismatis: frons adversa refert Franciscum Salesium.

CCCCLXV.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
PHILIPPVS . FRANCISCI . F . PETRVCCIVS
AMPLISSIMO . APVD . SENENSES . GENERE
ARCHIPRESBYTER . COLLEGII . CANONICORVM
AEDIS . PRINCIPIS . SVTRINAE
VICARIA . POTESTATE . DIOECESI . PRAEFVIT
HVMANAS . ET . DIVINAS . DISCIPLINAS . DOCVIT
MORVM . INTEGRITATEM . ORANDI . STVDIVM
CVLTVM . ERGA . MAGNAM . DEI . PARENTEM
ET . ALOISIVM . TVTOREM . IVVENTVTIS
VOCE . ET . EXEMPLO . PROVEXIT
DECESS . KAL. IVNIIS . AN. MDCCCLXIV.
ANNOS . NATVS . LXIX. M. V. D. XVI.
VIVAS . IN . DEO *

* CAPRANICAE APVD SVTRIVM.

CCCCLXVI.

A ☧ Ω

HEIC . APVD . IOANNEM . ET . PAVLVM . MARTYRES
QVOS . COLVIT . EXIMIE
ADQVIESCIT
DOMINICVS . PETRI . F. DE . LVCHI
DOMO . GENVA
QVI . CVRIS . DOMESTICIS . SOLVTVS
VNI . DEO . VIXIT . CAELEBS . CAELESTIBVS . INHIANS
AMPLAS . OPES . IN . PETRI . STIPEM
IN . ADOLESCENTVLARVM . PVDOREM . TVTANDVM
IN . MAVRORVM . PVEROS . COEMENDOS
IN . EGENTES . CONTVLIT
EO . STVDIO . VT . OMNES . LATERET
EXITV . IMPROVISO . AT . NON . IMPARATVS
DECESSIT . XI. KAL. NOVEMB. A. MDCCCLXIV.
ANNOS . NATVS . LXIII. M. IX. D. VI.
EVGE . DOMINICE
TVA . TE . IN . CAELIS . BENEFACTA . MANENT

* ROMAE IN BASILICA IOANNIS ET PAVLI MARTYRVM IN MONTE COELIO.
Hanc formam Euge, quam in latinos titulos induco, mihi exhibuerunt tum sacra evangelia, tum Graeci Christiani, qui vita ad Christi Domini sapientiam exacta functis hac fausta precatione gratulabantur, *ευμοιρει, ευψυχει, θαρρει*. Corp. Inscr. Graecar. 9789, 9800, 9803.

CCCCLXVII.

VIRGINIBVS
QVAE . VITAE . STADIIS . IN . DEI . FAMVLATV . EMENSIS
HEIC . SVPREMVM . CHRISTI . SPONSI . ADVENTVM
REVICTVRAE . PRAESTOLANTVR
PACEM . CAELESTEM . ADPRECEMVR
FELICES . ANIMAE . QVIBVS . EST . DATA . META . LABORVM
QVAS . SIBI . CONNVBII . VINXIT . HONORE . DEVS
VIVITE . NEC . NOSTRI . FVGIAT . VOS . CVRA . SEQVEMVR
NOSQVE . PARI . IN . CAELIS . FOEDERE . IVNGET . AMOR *

* FOGNANI IN FRONTE HYPOGAEI VIRGINVM DOMINICIANARVM A SACRAMENTO AVGVSTO.

CCCCLXVIII.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
IOSEPHA . MARIA . BELLONCIA
VIRGO . DOMINICIANA . A . SACRAMENTO . AVGVSTO
QVAE . DIVTINIS . CONFLICTATA . MORBIS
PVRIOR . EVOLAVIT . AD . SPONSVM
POSTRID. KAL. MART. A. MDCCCLXI.
AN. NA. XXXII. M. XI. D. XIII.
VIVE . IN . DEO . IOSEPHA . MARIA
MEMOR. PVELLARVM
QVAS . VOCE . ET . EXEMPLO
AD . VIRTVTEM . EFFINXISTI .

FOGNANI IN AEMILIA.

CCCCLXIX.

A ☧ Ω

SPERANDIO . BORGHINIA
VIRGO . ANCILLA
EVOCATA . EST . A . CHRISTO . SPONSO
NONIS . MARTIIS . A. MDCCCLXIV.
AN. N. LXIII.
VIVAS . IN . DEO *

A ☧ Ω

MATILDAE . TASSINARIAE
SORORI . ANCILLAE
Θ. PRID. KAL. MART. A. MDCCCLXI.
AN. N. LXII.
PAX . IN . CHRISTO **

* FOGNANI IN HYPOGAEO COLLEGII VIRGINVM.
** IN EODEM HYPOGAEO.

CCCCLXX.

Ω ☧ A

HEIC . DORMIT . IN . PACE . CHRISTI
ANGELA . THERESIA . BERTIA
VIRGO
QVAE . SIBI . ET . DEO . VACANS
VIRTVTVM . ODOREM . INTER . SOCIAS . DIFFVDIT
DECESS. V. IDVS . FEBRVARIAS . A. MDCCCLXII.
ANNVM . AGENS . LXI. M. I. D. XVI.
VIVAS . IN . DEO

INEDI.

CCCCLXXI.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
IOANNA . GELTRVDE . DE . BROV
VIRGO . A . CORDE . D. N. IESV
QVAE . CONSILIO . ET . PRVDENTIA
ADSTITIT . SVMMAE . MAGISTRAE . ORDINIS
DECESS. IDIBVS . DECEMBRIBVS . A. MDCCCLXIV.
ANNOS . NATA . LIX. D. XVIII.
AVE . ET . VIVE . IN . DEO *

* PARISIIS IN LATERE COEMETERII, IN QVO CONQVIESCVNT VIRGINES A CORDE D. N. IESV.

CCCCLXXII.

A ☧ Ω

HEIC . SITVS . EST
ALOISIVS . ANTONII . F. FARABVLINIVS
GENTE . PICENVS . INCOLA . RAVENNAS
QVEM . FLORENTI . AETATE . MILITEM
STVDIIS . OPTIMIS . EXCVLTVM
PACIS . INTER . CIVES . SEQVESTRVM
PIETAS . FIDES . ERGA . PETRI . SEDEM
STVDIVM . IN . LIBERIS . INSTITVENDIS
ORNARVNT
DECESS. IV. IDVS . IANVARIAS . A. MDCCCLIII.
ANNOS . NATVS . LXII. M. VII. D. V.
FILII . CVM . LACRIMIS
P. *

* FILI APVD RAVENNAM.

CCCCLXXIII.

A ☧ Ω

FRANCISCO . VINCENTII . F. CATONIO
PIO . INTEGERRIMO
DECES. V. ID. APRIL. A. MDCCCXLVII. ANNOR. LIX.
ODOARDA . ET . CONCEPTA . POSVERVNT
PARENTI . OPTIMO *

A ☧ Ω

ANNAE . MARIAE . IOANNIS . BAPTISTAE . VILLAE . F.
VXSORI . FRANCISCI . CATONII
DECESS. XII. KAL. IAN. A. MDCCCLIX. ANNOR. LXXI.
ODOARDA . ET . CONCEPTA
MATRI . BENEMERENTI . P. *

* MONTE COMPATRVM.

CCCCLXXIV.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . CINERIBVS
ANTONII . HONORATI . F. PAGNONCELLII . EQ.
CVRATORIS . MENSAE . APOSTOLICAE
MORVM . INTEGRITATE . RELIGIONIS . CONSTANTIA
IN . MVNERE . OBEVNDO . SOLLERTIA
PONTIFICVM . MAXIMORVM . LAVDES . PROMERITI
DECES. XV. KAL. SEXST. A. MDCCCLXI.
AN. N. LXXXIII. M. VII. D. XXV.
MARIA . BIAGIA . VXSOR . HERES
AVGVSTINVS . CVRTIVS . THEMISTOCLES . HONORATVS
VIRGINIA . ADELAIS . FILII . POSVERVNT *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCLXXV.

A ☧ Ω

ANTONIO . VINCENTII . F. SALVATORIO
SACERDOTI
DOMO . ARENARIA . IN . FRVSINATIBVS
IVRIS . PONTIFICII . ET . CIVILIS . CONSVLTO
EX . ANTISTITIBVS . DOMVS . PONTIFICIS . MAXIMI
A . RELATIONIBVS . IVDICIORVM . RECOGNOSCENDORVM
ET . VENIAE . PRINCIPIS . IMPETRANDAE
CVIVS . VIRTVS
EX . MODESTIA . ET . HABITV . CORPORIS
PERLVCEBAT
INGENIVM . OPTIMIS . ARTIBVS
ET . DISCIPLINIS . EXCVLTVM
EXIMIAM . SVI . SPEM . EXCITABAT
DECESSIT . IN . IPSO . ADITV . HONORVM
VIII. IDVS. FEBR. AN. MDCCCLXV.
AN. NA. XXXIX. M VI. D. XVII.
ALOISIVS . FERDINANDVS . HENRICVS . FRATRES
VINCENTIVS . FRATRIS . F.
CVM . LACRVMIS . POSVERVNT *

* ROMAE AD S. BONAVENTVRAE IN COLLE PALATINO.

CCCCLXXVI

A ☧ Ω

OLYMPIAE . PETRI . PAVLI . F. CAPPELLIAE
FEMINAE . SPECTATISSIMAE
A . STVDIO . SOBOLIS . AD . PIETATEM . INSTITVENDAE
A . REI . FAMILIARIS . CVRA . A . CARITATE . IN . EGENOS
A . DOMESTICIS . VIRTVTIBVS
AD . OMNEM . OPTIMAE . MATRISFAMILIAS
LAVDEM . INSTRVCTAE
IOSEPHVS . ROMANELLIVS
CVM . LACRVMIS . P.
VXSORI . BENEMERENTI
DECESS. IDIB. MART. AN. MDCCCLXV.
AN. NA. LXXI. M. VII. D. XVIII.
TE . IN . PACE . CHRISTVS *

* MONTE COMPATRVM IN COLLIBVS TVSCVLANIS.

CCCCLXXVII.

1.

NICOLAO . WISEMAN
PATRI . CARDINALI . TITVLO . PVDENTIANAE . V.
PRIMO . AB . INSTAVRATA . APVD . ANGLOS . HIERARCHIA
ARCHIEPISCOPO . WESTMONASTERIENSI
INGENIO . SCRIPTIS . ERVDITIONE . ELOQVENTIA
REBVS . PRO . RE . CHRISTIANA . GESTIS
AETATIS . NOSTRAE . ET . POSTERAE
LAVDES . PROMERITO
*SOLEMNIA . FVNERIS *

* ROMAE AD D. N. IESV in parentalibus quae idib. martiis an. MDCCCLXV viro benemerentissimo persoluta sunt ab eximia Anglorum heic consistentium pietate, et religione.

CCCCLXXVIII.

2.

NICOLAVS . WISEMAN
PARENTIBVS . ANGLIS . HISPALI . NATVS
POSTRID . KAL. SEXTIL. AN. MDCCCII.
ROMAE . INSTITVTVS . IN . ANGLORVM . COLLEGIO
CVI . ALIQVOT . POST . ANNIS . PRAEFVIT
HEBRAEAS . LITTERAS . IN . ATHENAEO . ROM. DOCVIT
AN. MDCCCXXXV. DOMVM . REPETENS . OPERAM . IN . SVOS
AB . ERRORE . AD . VERITATEM . TRADVCENDOS . CONTVLIT
AN. MDCCCXL. MELLIPOTAMENSIS . PONTIFEX . RENVNCIATVS
VICARIAE . POTESTATIS . APOSTOLICAE . MVNERA . OBIVIT
AN. MDCCCL. HIERARCHICO . ORDINE
PII . IX. PONTIFICIS . MAXIMI . AVCTORITATE . ET . SAPIENTIA
APVD . ANGLOS . INSTAVRATO
ARCHIEPISCOPVS . WESTMONASTERIENSI . DIOECESI . PRAEPOSITVS
IN . PATRVM . CARDINALIVM . SENATVM . COOPTATVS
EXIMIIS . LABORVM . PATIENTIAE . CHARITATIS
DEMISSIONIS . ANIMI . EXEMPLIS . EDITIS
BONA . RELIGIONI . CATHOLICAE . IN . ANGLIA . SPE . PRAELVCENTE
DECESS. XV. KAL. MART. A. MDCCCLXV.
TE . IN . PACE . CHRISTVS

CCCCLXXIX.

2.

ALVMNIS
QVOS . IN . ECCLESIAE . SPEM . INSTITVIT
PIETATIS . ET . DOCTRINAE
LABORVM . ET . PRECVM . CONCORDIAM . SVASIT
SACRAS . DISCIPLINAS . E . PVRISSIMIS
ROMANI . MAGISTERII . FONTIBVS . HAVRIENDAS
PRAECEPTA . AD . MORES . ET . ANIMOS . TEMPERANDOS
AB . ALPHONSO . MARIA . DE . LIGORIO
VIRTVTVM . ET . SAPIENTIAE . LAVDE . INCLVTO
PETENDA . EDIXIT

CCCCLXXX.

4.

INGENIVM . ET . VIRES
IN . REI . CHRISTIANAE . DECVS . ET . TVTAMEN . CONTVLIT
SYRIACIS . DOCTRINIS . TRICAS . HEBRAEORVM . RESOLVIT
A . PHYSICIS . ARGVMENTA . AD . MOSAICAM . COSMOGONIAM . DVXIT
CHRISTIANORVM . SACRIS . SAPIENTIAM . VINDICAVIT
PIETATEM . PRISCAM . ET . FIDEM . IN . FABIOLA . EFFINXIT
ARTIVM . INGENVARVM . INCREMENTA . ET . ABSOLVTIONEM
CATHOLICAE . RELIGIONI . ASSERVIT
CHRISTVM . DOMINVM . IN . SACRAMENTO . AVGVSTO
LATERE
MAGNAM . DEI . MATREM . LABE . PRIMAEVA
CARERE . EVICIT

CCCCLXXXI.

5.

CONCILIO . ADVOCATO
RELIGIONI . TVTANDAE . AMPLIFICANDAE . PROSPEXIT
AEDES . SACRAS . A . SOLO . EXCITAVIT
COENOBIA . VIRIS . ET . VIRGINIBVS . SACRIS . RECLVSIT
PVERIS . ET . PVELLIS . AD . PROBOS . MORES
INFORMANDIS . CONSVLVIT
AMPLISSIMO . NOSOCOMIO . INAEDIFICATO . AEGROS
OMNI . OPE . IVVIT
CHRISTO . DOMINO . IN . SACRAMENTO . AVGVSTO
PERPETVVM . CVLTVM . INSTITVIT

CCCCLXXXII.

6.

FIDEM . ET . OBSEQVIVM
IN . PETRI . SEDEM
VOCE . ET . EXEMPLO . DOCVIT
IN . MECLINIENSI . CATHOLICORVM . COETV . ASSERVIT
AB . EPISCOPIS . ROMAM
AD . SANCTORVM . NOVENSILIVM . SOLEMNIA
ACCITIS . ELECTVS
PIO . IX. PONTIFICI . MAXIMO . PATEFECIT
MORIENS . SVIS . ANGLIS . TESTAMENTO
TRANSMISIT

CCCCLXXXIII.

7.

PRVDENTI . CONSILIO
ANIMVM . MAGNA . AVDENTEM
TEMPERAVIT
ALIENAE . SALVTIS . STVDIVM
SVAVITATE . REXIT
DIFFICVLTATES . CONSTANTIA . PERRVMPENS
PERICVLA . SAPIENTIA . DECLINANS
INSIGNE . CATHOLICAE . RELIGIONI
TROPHAEVM
IN . ANGLIA . CONSTITVIT

VALE . VALE . VALE
VIR . SAPIENTISSIME
NVLLA . DE . TVIS . LAVDIBVS . AETAS
CONTICESCET *

* Hanc formam VALE VALE VALE nobis exhibet marmor veronense apud Maffeium Mus. Ver. 96. 5. apud Orellium Inscript. latin. select. 2389.

CCCCLXXXIV.

AN. CHR. MDCCCLXV.
FESTO . DIE . ATHANASII . MAGNI
D. N. PIVS . IX. PONTIFEX . MAXIMVS
CVIVS . MVNIFICENTIA
COLLEGIO . N.
CENSVVM . ET . ALVMNORVM . ACCESSIO . FACTA . EST
AEDEM . N. SVBIIT . DIVINAE . REI . ADFVIT
CAELITVM . SANCTORVM . HONORES
B. IOSAPHATO . ARCHIEPISCOPO . POLOCIENSI
A . CATHOLICI . NOMINIS . HOSTIBVS . PEREMPTO . DECREVIT
IOANNEM . BERCHMANS . E . SOCIETATE . IESV
ALOISII . EXEMPLA . IN . COLLEGIO . ROMANO . REFERENTEM
BEATORVM . FASTIS . ADSCISCENDVM . SANXIT
MODERATORES . ET . ALVMNOS
HVMANITATE . ET . ALLOQVIO . BEAVIT *

* ROMAE IN COLLEGIO GRAECO.

CCCCLXXXV.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
BERNARDVS . MARIA . TIRABASSIVS
DOMO . ROTELLA . IN . PICENTIBVS
POST . LEGATIONEM . IN . HETRVRIAM
EPISCOPVS . FERENTINATIVM
CVI . ANTIQVA . MORVM . SEVERITAS
TEMPERANTIA . MODESTIA
RERVM . HVMANARVM . CONTEMPTVS
CAELESTIVM . STVDIVM
VIGIL . ET . ACTVOSA . IN . CLERI . CASTIMONIAM
IN . SACRI . EPHEBEI . INSTITVTIONEM
IN . POPVLI . PIETATEM . IN . DEI . CVLTVM
SOLLERTIA . ET . CVRA . ANNOR . XX.
PASTORIS . PROVIDI . FAMAM . PROMERVIT
PAVPER . DECESSIT . POSTR. KAL. IAN. A. MDCCCLXV.
ANNOS . NATVS . LXIII. M. VII. D. VI.
CVM . AMBROSIO . MARTYRI . PATRONO
HYPOGAEVM . TEMPLI . PRINCIPIS
INGENTI . MOLITIONE . INCHOATI . FERE . ABSOLVISSET
CAROLVS . SACCONIVS . CARDINALIS
TITVLO . D. N. MARIAE . AD . PORTAM . FLAMINIAM
HEREDITATIBVS . ECCLESIAE . CADVCIS . PRAEPOSITVS
POSVIT *

* FERENTINI IN HERNICIS.

HEREDITATES CADVCAE apud Cicer. Philip. X. 5. BONA CADVCA apud Gaium Institut. III. §. 62 et contractius CADVCA apud JC. sunt quae certo carent herede, eaque adit Aerarium Principis; nos SPOGLI dicimus.

CCCCLXXXVI.

IESV . CHRISTO . DEO . HVMANI . GENERIS : SERVATORI
MATRI . EIVS . VIRGINI . MARIAE
CASTISSIMO . MARIAE . VIRO . IOSEPHO
SACRVM

VOS . O . PRAESIDIVM . ET . REBVS . SOLAMEN . IN . ARCTIS
VOS . VENIENTE . DIE . VOS . ABEVNTE . COLAM
EXPES . HVC . VENIAM . HEIC . MISERO . MIHI . FLERE . LVBEBIT
HINC . MIHI . PERFVGIVM . VITA . MEDELA . SALVS *

* In fronte sacelli domus Antelmyae in oppidulo Cellie apud Aletium in Hydruntinis.

CCCCLXXXVII.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . QVIETI
CAMILLAE . ANNAE . BOLOGNINIAE . COMITIS
DOMO . BONONIA
QVAE . FLORENTI . AETATE
ALOISIO . TIZZONIO . COM. CONIVGE . VIDVATA
OMNES . CVRAS . ET . COGITATIONES
IN . DEVM . ET . CAELESTIA . CONTVLIT
DECESS. XVI. KAL. APRIL. AN. MDCCCLXV.
AN. NA. LXV. M. VI. D. XXI.
HERCVLES . DIOTALLEVIVS . BONADRADA . MARCHIO
MAGDALENES . SORORIS . FILIVS
POSVIT
AVE . CAMILLA . ET . VIVE . IN . DEO *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCLXXXVIII.

AN. CHR. MDCCCLIV.
VI. IDVS . DECEMBRES
MARIAM
MAGNAM . DEI . MATREM
LABIS . PRIMAEVAE . EXPERTEM
PIVS . IX. PONT. MAX.
ACCITIS . ORBIS . CATHOLICI . EPISCOPIS
SOLEMNI . DECRETO
SANXIT . HABERI
ET . COLORIBVS . VDO . ILLITIS . REM . GESTAM
EXPRIMI . IVSSIT *

INVENIT ET PINXIT FRANCISCVS POTESTIVS EQ.

* IN AVLA VATICANA.

CCCCLXXXIX.

ALOISI
PRAESES . ET . PATRONE
NOS . QVI . PRIMI . DEDIMVS
EPHEBEO . MONTIS . DRACONIS . NOMEN
TVAE . VOLVMVS . CVSTODIAE . CREDITVM
NOSTRI . CANDOREM . PECTORIS
TE . AVSPICE . ET . PRAESTITE
NVLLIS . INQVINETVR . MACVLIS
NVLLA . TABESCAT . LEVIORE . LABE
SED . INTEGRO . FLORENS . DECORE
MARIAE . MATRIS . OCVLOS . SOLETVR *

FESTO . DIE . ALOISII . AN. MDCCCLXV.

* IN CORDE ARGENTEO, quod nobile Ephebeum Montis Draconis in collibus tusculanis hoc anno a Societate Iesu constitutum obtulit Romae Aloisio Patrono.

CCCCXC.

A ☧ Ω

HEIC . IN . SEDE . HONORIS . SVI . CONDITVS . EST
DOMINICVS . SAVELLIVS . CARDINALIS
DOMO . CYRNAEVS . ANTIQVO . APVD . ROMANOS . GENERE
VIRTVTE . INGENIO . IVRIS . PONTIFICII . ET . CIVILIS . SCIENTIA
VIAM . SIBI . AD . HONORES . MVNIVIT
PROVINCIIS . PRAEFVIT
EASQVE . IN . OFFICIO . DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS . CONTINVIT
VRBIS . ET . MVNERVM . PVBLICORVM . PRAEFECTVRA . FVNCTVS
SVMMO . VECTIGALIVM . MODERANDORVM . CONSILIO . PRAEPOSITVS
DECESSIT . III. KAL. SEPT. AN. MDCCCLXIV.
ANNOS . NATVS . LXXI. M. XI. D. XVI.
GREGORIVS . COMES . POSVIT
PATRVO . OPTIMO . BENEMERENTI *

* ROMAE AD S. MARIAE IN EQVIRIIS.

CCCCXCI.

A ☧ Ω

HEIC . DORMIT . IN . PACE
IVLIVS . SAVELLIVS . COMES
INFANS . ANNI . I. MENSIVM . III. D. XVI.
CHORIS . ANGELORVM . ADDITVS
PRID. ID. QVINT. AN. MDCCCLXIII.
AVE . AMOR . NOSTER . ET . VIVE . IN . DEO
MEMOR . GREGORII . ET . LAVRAE
PARENTVM *

* AD S. MARIAE D. N. IN EQVIRIIS.

CCCCXCII.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
RAPHAEL . BORGHIVS . I. C.
INTEGRITATE . ET . FIDE . IN . CLIENTES . EXIMIA
RELIGIONIS . MVNIA . IN . EXEMPLVM . OBIVIT
FILIOS . AD . VIRTVTEM . EDVXIT
DECESS. PRID. ID. QVINTIL. A. MDCCCLXII.
AN. NA. LXV. M. II.
HILARIVS . POSVIT . PATRI . OPTIMO *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCXCIII.

A ☧ Ω

AMALIAE . VINCENTII . F. DELFINIAE
DOMO . FERRARIA
CLARISSIMAE . FEMINAE
VERECVNDAE . COMI . SAPIENTI
PARENTIBVS . ET . VIRO . IN . AMORE . ET . DELICIIS
BENEFICAE . IN . EGENOS
QVAE . GRAVI . CONFLICTATA . MORBO
EXIMIA . EDIDIT . PIETATIS . EXEMPLA
DECES. IV. KAL. OCTOBR. AN. MDCCCLXIV.
AN. N. XL. MENS. I. D. XXII.
ALOISIVS . SQVARZONIVS . EQ.
DVCTOR . PEDITVM . IN . EXERCITV . PONTIFICIS . MAXIMI
POSVIT
CONIVGI . INCOMPARABILI
AVE . AMALIA . FIDISSIMA
ET . VIVE . IN . DEO *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCXCIV.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
CAIETANVS . BLASIVS . MARIA . ANTONII . F. PATRIARCA
SACERDOS
E. COLLEGIO . PATRVM . CANONICORVM
HVMANAS . LITTERAS . VBERRIMO . AVDITORVM . FRVCTV . DOCVIT
VIRGINES . SACRAS . IN . PIETATIS . STVDIO . EXCOLVIT
LEGES . QVIBVS . COLLEGAE . VTERENTVR
EX . CONCILIIS . ET . PONTIFICIO . IVRE . DEPROMPSIT
CONSILIO . CONCIONIBVS . DEMISSIONE . ANIMI
EXTERNORVM . ET . CIVIVM . AMOREM . PROMERITVS
DECESSIT . IDIBVS . OCTOB. AN. MDCCCLXII.
ANNOS . NATVS . LXXXII. M. VIII. D. XII.
ANTONIVS . FRATRIS . F. SACERDOS
ET . HADRIANVS . CELANIVS . FRATRIS . FILIAE . MARITVS
POSVERVNT
AVE . SENEX . PIENTISSIME . ET . VIVE . IN . DEO *

* VARCENI IN CAMPANIA.

CCCCXCV.

ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXV.
PIO . IX . PONTIFICE . MAXIMO
ANTONIO . TOSTIO . CARD. PATRONO
AEDES . SODALIVM . VEXILLARIORVM . D. N. MARIAE
A . SQVALORE . AD . NOVVM . DECVS . REVOCATA
AB . INCOHATO . REFECTA
APSIS . FORNIX . PARIETES . PICTVRIS . RES . A . SODALIBVS . N.
GESTAS . REFERENTIBVS . ORNATI
CELLA . MAIOR . ET . AEDICVLAE . ALTARIA . LORICIS . PARASTATIS
OPERE . VERMICVLATO . ET . PLASTICO . INAVRATO . SEPTIS . MARMOREIS
DECORATA
PAVIMENTVM . MARMORE . CONSTRATVM
FRANCISCO . AZVRRIO . EQ. ARCHITECTO *

* ROMAE IN AEDE LVCIAE V. M. SODALIVM MARIALIVM VEXILLARIORVM.

CCCCXCVI.

CVRAM . INSTAVRATIONIS
ABSOLVTAE . ANNO . MDCCCLXV
EGERVNT . SODALES . MARIALES . VEXILLARII
SALVATOR . NOBILIVS . VITELLESCHIVS . MARCHIO . ARCHIEPISCOPVS
EPISCOPVS . AVXIMAS . ET . CINGVLANVS
VICE . SACRA . QVAESTOR . SODALITATIS . ET . NEOCORVS

CAROLVS . EX . THEODOLIS . MARCH. EQ. VINCENTIVS . ANTICIVS . MATTEIVS . MARCH. HERMES . CAVALLETTIVS . BELLONIVS . MARCH.	NEOCORI
ALEXANDER . CARDELLIVS . COM.	A SECRETIS
FRANCISCVS . RICCIVS . A . CVBICVLO . PONTIFICIS . MAXIMI ALOISIVS . NASELLIVS . ANTIST . VRBAN. CAROLVS . CARDELLIVS . COM. FERDINANDVS . EX . QVINTILIBVS . DEL . CINQVE . EQ. IOANNES . EX . PRINCIP. CHIGIIS PIVS . CAPRANICA . MARCH. CAROLVS . SACRIPANTES . VITVZZIVS . MARCH. IOSEPHVS . NEGRONIVS . COM. IOANNES . RICCIVS . PARACCIANIVS . MARCH. FRIDERICVS . MORONIVS . COM. IOSEPHVS . SACRIPANTES . VITVZZIVS . MARCH. FRANCISCVS . CAVALLETTIVS . MARCH. FRANCISCVS . PATRIZIVS . MARCH. FRANCISCVS . SERLVPIVS . MARCH. *	SODALES

* INIBI. Hic titulus iungendus est priori, quem necesse fuit in duas partes secare, cum inscribendas notas deficeret spatium parietis.

CCCCXCVII.

☧ ☧

GENS . BOGVET . ET . ROSSIGNANIA
PROXIME . ANTE . ARAM . PRINCIPEM . AD . LAEVAM
COMMVNE . SEPVLCRVM . SIBI . ELEGERVNT
AN. CH. MDCCCLXIII.
IN . PACE . CHRISTI *

* ROMAE IN AEDE SACRA. Cum lapis inscriptus absit plures ulnas a sepulcro, opus fuit locum, ubi condita sunt corpora, innuere in titulo.

CCCCXCVIII.

A ☧ Ω

HEIC . SIBI . ET . SVIS
REQVIETIS . SEDEM . ELEGERVNT
NICOLAVS . ET . VALERIVS . DE . BELARDINIS . FRATRES
VALERIVS . DECES. NON. SEPT. A. MDCCCLXIV.
AN. NA. LIII. M. VI. D. XXVII. *

* ROMAE IN COEMETERIO.

CCCCXCIX.

A ☧ Ω

STANISLAO . DEMIO
DOMO . LABRONE . IN . ETRVRIA
CVIVS . ARGVTA . ET . SVAVIS . VOX
AD . ARTIS . MODOS . TEMPERATA
ADMIRATIONEM . ET . PLAVSVS . MOVIT
VIXIT . RELIGIONEM . SANCTAE . CVSTODIENS
AN. LV. M. I. D. XX.
DECESS. KAL. QVINTIL. AN. MDCCCLXV.
IOSEPHA . EX . COMITIBVS . MEZZABARBIS . CONIVX
ET . ELVIRA . FILIA . QVAM . OMNI . CVRA
AD . VIRTVTEM . ET . AD . NVMEROS . MVSICOS . INSTITVIT
CVM . LACRIMIS . POSVERVNT *

* ROMAE IN COEMETERIO.

D.

ANGELO . CARNEVALINIO
DOMO . VITERBIO
IN . ROMANA . CVRIA
ET . APVD . CONSILIVM . GALLICVM REI . BELLICAE
ROMAE . CONSTITVTVM
CAVSARVM . PATRONO
DECES . IDIB. NOV. A. MDCCCLXII. A. N. LXII.
FILII . PATRI . OPTIMO . P.

* ROMAE SVB SIGNO MARMOREO IN COEMETERIO.

DI.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
IOANNES . BAPTISTA . A . BVRGVNDIA
SACERDOS . EX . FAMILIA . FRANCISCALI . REFORMATA
ROMANI . RECESSVS . S. BONAVENTVRAE
STVDIIS . OPERAM . IN . COLLEGIO . ROM. S. I. DEDIT
ET . PIETATE . INNOCENTIA . MODESTIA . CONDISCIPVLIS . PRAELVXIT
FRANCISCI . PATRIS . DISCIPLINAM . PROFESSVS
AD . EXIMIAM . VIRTVTEM . ALACRI . CVRSV . CONTENDIT
NEAPOLI . QVO . AD . VALETVDINEM . RECVPERANDAM . CONCESSERAT
DECESSIT . XI. KAL. APR. A. MDCCXXVI. AN. N. XXVI.
CORPVS . INDVLGENTIA . ET . AVCTORITATE . PII . IX. PONT. MAX.
EFFOSSVM . INSPECTVM . NOVAQVE . ARCA . INCLVSVM
HANC . IN . AEDEM . QVAM . EXIMIE . DILEXIT
TRANSLATVM . EST . XI. KAL. APR. AN. MDCCCLXV.
AVE . ET . VIVE . IN . DEO . MEMOR . TVORVM *

* ROMAE AD S. BONAVENTVRAE IN COLLE PALATINO.

DII.

DIE . FESTO . ANTONII . PATAVINI
ANNO . MDCCCLXV.
ANTONIVS . PLANCARTE . SACERDOS . NOVENSILIS
HOC . CALICE
QVEM . SIBI . DONO . MISIT
PARENTIS . VITA . FVNCTAE . VICES . IMPLENS
EMMANVELLA . PINTO . DE . FORBES . CLARISSIMA . FEMINA
DE . RE . CATHOLICA . EXIMIE . MERITA
SACRIS . PRIMVM . OPERATVS . EST
ROMAE . AD . ARAM . ALOISII . PATRONI
ET . PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
EODEM . CALICE
DEO . PERLITAVIT
SOLEMNI . DIE . ALOISII . SANCTI . TVTORIS . IVVENTVTIS
QVO . DIE . NOVEM . ET . DECEM . ANNIS . ANTE
SVMMVM . RELIGIONIS . MAGISTERIVM
INIERAT *

* IN LAMINA SVPPOSITA PEDI CALICIS.

DIII.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
MAGDALENE . ALOISIA . SOPHIA . BARAT
QVAE . SOCIETATEM . VIRGINVM . A . CORDE . D. N. IESV . CONSTITVIT
ET . MIRA . SVAVITATE . ET . PRVDENTIA . REXIT . AN. LXIII.
QVO . LATIVS . EAM . FVNDI . ET . FLORERE . CONSPEXIT
EO . DEMISSIVS . SE . ABIECIT . VNI . DEO . OMNIA . TRIBVENS
DECESSIT . VIII. KAL. IVNIAS
FESTO . DIE . CHRISTI . DOMINI . ASCENDENTIS . IN . CAELVM
AN. MDCCCLXV. ANNOS . NATA . LXXXV. M. V. D. XIII.
AVE . ET . VALE
BONA . MATER
VIVE . IN . DEO
MEMOR . NOSTRVM
QVAS . DIVINO . CORDI . GENVISTI *

* LVTETIAE PARISIORVM.

DIV

MARIA
VIRGO . DEI . PARENS
AVREVM . CARMELI . IVBAR
DVM . TE . FIDENTI . AMBIMVS . PRECE
TIBIQVE . ANNVOS . INSTAVRAMVS . HONORES
TV . NOBIS . ADSIS . VOCATA
TV . FIDEM . ANTIQVAM . CONFIRMES . AVGEAS
NVLLOQVE . SINAS . NVTARE . VENTO
TIBI . LONGAEVOS . PATRES . VXSORES . LIBEROS
DOMOS . AGROS . ET . QVIDQVID . EST . LVCELLI
VOLVMVS . CONCREDITOS
TE . PATRONA . TE . AVSPICE
TE . CONSILIVM . PRAEBENTE . ET . VIRES
ITER . CAELI . INIBIMVS . EXPEDITI *

* Titulus temporarius propositus in fronte aedis sacrae die festo D. N. Mariae Carmelitidis anni MDCCCLXV in oppidulo cui nomen Villafranca apud Apuam in finibus Hetruriae.

DV.

1. *

BENEDICTO . DE . RICCABONA
EPISCOPO . PRINCIPI . TRIDENTINORVM
PALLII . DIGNITATE . AVCTO . OB . MERITA
A . PIO . IX. PONTIFICE . MAXIMO
NAVNIAE . ET . SOLIS . VALLES
SACRA . POTESTATE . LVSTRANTI
AMBLARENSES
GAVDIO . EXVLTANTES
PARENTI . OPTIMO **

* Tituli temporarii propositi Amblarii in vallibus Tridentinis, cum Episcopus et Princeps Tridentinus aedem sacram Deo Optimo Maximo solemni ritu dedicavit, et Nauniae et Solis valles lustravit mense augusto anni MDCCCLXV.

** In fronte arcus constituti in aditu oppidi.

DVI.

2.

BENEDICTE
PATER . ET . PRINCEPS
EXOPTATE . ADVENIS
TE . DOMVS . TE . OPPIDVM . TE . VALLIS
INCOLVMEM . SALVTAT
TIBI . RELIGIONIS . AMPLIFICANDAE . STVDIVM
GRATVLATVR *

* In fronte domus curionis, in quam divertit Episcopus.

DVII.

3.

MARIA
MAGNA . DEI . PARENS
VOSQVE . CAELITES . BEATI
QVORVM . SACRATOS . CINERES
ET . RELIQVIAS . COLIMVS
ADESTE . BONI . PROPITII
AVITAM . PIETATEM . ET . FIDEM
QVAM . VITA . IPSA . CARIOREM
DVXERVNT . PATRES . NOSTRI
AVGETE
ERRORVM . ET . CRIMINVM
SERVATE . IMMVNEM *

* In fronte aediculae, in qua reliquiae Sanctorum servabantur.

DVIII.

4.

DEVS . OPTIME . MAXIME
AVCTOR . VITAE . DATOR . BONORVM . OMNIVM
SI . NVMINI . TVO
AEDEM . QVAE . NOSTRAE . EST . FIDEI . TESTIS
SACRAMVS . ET . DEDICAMVS
TV . NOS . TVERE . ET . SOSPITA
NOSTRISQVE . EX . FINIBVS
QVIDQVID . TVAE . EST . ADVERSVM . LEGI
ARCETO . PROCVL *

* In fronte Aedis solemnibus caeremoniis Deo consecrandae.

DIX.

A ☧ Ω

IVLIA . ANNOR. VI.
CAMILLA . ANNOR. III.
ALTERA . POSTRID. KAL.
ALTERA . NONIS . MAIIS . AN. MDCCCLVII.
AD . CAELESTES . EVOLARVNT
IOSEPHVS . PALIEIVS . MEDICVS . ET . MARIANNA . BEDONIA
POSVERVNT . FILIOLIS . SVAVISSIMIS
QVIBVSCVM . SIBI . QVIETIS . SEDEM . ELEGERVNT *

* ROMAE IN AGRO VERANO.

DX.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . QVIESCIT
STEPHANVS . REIVS
QVI . LABORE . INDVSTRIA . MERCIBVS
COEMENDIS . VENDENDIS . REM . AVXIT
PIE . DECESS. IV. ID. MAI . AN. MDCCCLXV. A. N. LXVI.
MARGARITA . VXSOR . ORESTES . FILIVS
CVM LACRVMIS . POSVERVNT *

* ROMAE IN AGRO VERANO

DXI.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE · CHRISTI . QVIESCIT
PETRVS . ALOISII . F. PASSAVANTIVS
PATRIAE . COMMODIS . STVDVIT
RELIGIONIS . LEGES . SANCTE . SERVAVIT
DECES . VI. KAL. IVN. A. MDCCCLXV. AN. N. LV.
ANNAMARIA . ROSA . LVCIA
POSVERVNT . FRATRI . BENEMERENTI *

* MONTE COMPATRVM.

DXII.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
PETRVS . BENEDICTI . F. CARPIVS
MEDICVS . CLARISSIMVS
QVI . FLORENTI . AETATE . COMES . REGII . BATAVORVM . PRINCIPIS
EVROPAM . LVSTRAVIT
CHYMICEN . IN . LYCEO
METALLORVM . ET . FOSSILIVM . SCIENTIAM . IN . ATHENAEO . DOCVIT
COOPTATVS . IN . COLLEGIVM . DOCTORVM . DECVRIALIVM
ET . IN . CONSILIVM . VALETVDINI . PVBLICAE . TVENDAE
ET . NOSOCOMIIS . VRBANIS . INSPICIENDIS
ARCHIATER . ADFVIT . PIO . IX. PONTIFICI . MAXIMO
ET . AB . EO . EQVESTRIBVS . INSIGNIBVS . ORNATVS
DECESSIT . XI. KAL. APR. AN. MDCCCLXI.
ANNOS . NATVS . LXIX.
MORIBVS . IN . VITA . CAELIBE . CASTISSIMIS
PIETATE . IN . DEVM . CARITATE . IN . EGENOS . EXIMIA
CHRISTVM . DEVM . IN . ALTARI . HORAS . SOLIDAS . VENERARI
ET . CAELESTIA . COMMENTARI . CONSVEVIT . QVOTIDIE

ALOISIVS . POLETTIVS . ARCHITECTVS
AMICO . SVAVISSIMO
IOSEPHVS . SERRA . CARPIVS
AVVNCVLO . MAIORI
POSVERVNT *

ROMAE IN COEMETERIO AGRI VERANI.
* IN ALTERA FRONTE MONVMENTI.

DXIII.

1.

B. IOANNES . BERCHMANS
INGENIVM . OPTIMIS . EXCOLIT . DOCTRINIS
DIVINAM . IN . STVDIIS . SAPIENTIAM
QVAERIT
QVO . DOCTIOR . EO . DEMISSIOR

2.

B. IOANNES
VIGILI . SENSVS . COHIBENDI . CVRA
ANIMI . INTEGRITATEM . SEPIT
MAGNAE . DEI . MATRI . TVENDAM . COMMITTIT
NVLLA . FOEDATAM . LABE
PERPETVO SERVAT

DXIV.

3.

BEATE . IOANNES
DVM . TE . SOLEMNI . POMPA . AD . ARAM . DEDVCIMVS
TVISQVE . PERSONAT . LAVDIBVS . COLLEGIVM
QVOD . TVAE . STADIVM . VIRTVTI . FVIT
TV . NOSTRIS . AVRES . VOTIS . APPLICA
NOSTRAS . AD . LAETVM . EXITVM . PERDVC . PRECES
VT . HEIC . RELIGIO . BONAEQVE . ARTES
NOVIS . IN . DIES . AVCTIBVS
INCRESCANT

DXV.

4.

IOANNI . BERCHMANS *
QVINTO . EX . CONDISCIPVLIS . NOSTRIS
AD . CAELITVM . HONORES . EVECTO
ATRIVM . FESTO . CVLTV . EXORNAVIMVS

5.

B. IOANNES . BAPTISTA . DE . ROSSI . INGENIO
ET . PIETATE . CAETERIS . IN . COL. R. PRAELVXIT
DECESSIT . X. KAL. IVN. AN. MDCCLXIV. AN. NA. LXVI. *

6.

B. IOANNES . BERCHMANS . E . SO. IE.
MODESTIAE . EXEMPLAR
DECESS. ID. AVG. MDCXXI. A. N. XXII. **

Tituli temporarii propositi in atrio Collegii Romani festis sollemnibus in triduum, cum publice primum sacri honores Beato Ioanni haberentur.

* Sub imagine.

** Sub imagine.

Operam studiis in Collegio Romano dederunt patroni caelestes Aloisius Gonzaga, Camillus de Lellis, Leonardus a Portu Mauritio, Ioannes Baptista De Rossi, Ioannes Berchmans: spes est ut ad eosdem honores evehatur Ioannes Baptista a Burgundia eamdem vitae rationem professus, quam B. Leonardus a Portu Mauritio.

DXVI.

VIII . IDVS . IVNIAS
ANNI . CHRISTIANI . MDCCCLVII.
D. N. PIVS . IX. PONTIFEX . MAXIMVS
DITIONIS . SVAE . PROVINCIAS . INVISENS
IN . OPPIDVM . NOSTRVM . DIVERTIT
COLLEGIVM . VIRGINVM . DOMINICIANARVM
CVI . ANTE . INITVM . PONTIFICATVM . PRAEFVERAT
ADIIT
MAGISTRAS . ET . ALVMNAS
ORE . ALLOQVIO . BEAVIT
POPVLVM . FELICITER . ADCLAMANTEM
FAVSTA . PRECATIONE . LVSTRAVIT
FONIANENSES
NE . SINGVLARIS . BENEFICII . MEMORIA . INTERCIDAT
HAEC . AD . POSTERITATEM . TRANSMITTI . CENSVERVNT *

* FONIANI IN AEMILIA APVD FAVENTIAM.

DXVII.

XV. KALENDAS . QVINTILES
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLXV.
ANAGNIAE
QVVM . ORDO . IN . CVRIAM . CONVENISSET
ET . VERBA . FACTA . ESSENT . DE . GRATIIS . AGENDIS
V. C. FRANCISCO . XAVERIO . DE . MERODE . A . CVBICVLO
D. N. PII . IX . P. M. PRAEFECTO . REI . MILITARI
QVID . DE . EA . RE . FIERI . PLACERET . ITA . CENSVERVNT
QVVM . PROVIDENTISSIMVS . D. N. PIVS . IX . P. M. SAPIENTER
SANXISSET . VT . AQVA . SALVBRIS . HAVSTVS
CVIVS . PENVRIA . PERDIV . LABORAVIMVS . INFERRETVR
IN . VRBEM . N. ET . HVIVS . REI . CAVSA
XVIII. MILLIA . SCVT . NVM . CONTVLISSET
QVVMQVE . COORTAE . DIFFICVLTATES . MAXIMAE . FVISSENT
FRANCISCVS . XAVERIVS . DE . MERODE . BONO . REI
PVBLICAE . NATVS . NVLLIS . PEPERCIT . LABORIBVS
VT . AD . OPTATVM . EXITVM . CONSILIA
OPTIMI . PRINCIPIS . PERDVCERENTVR
ET . PER . VIRVM . RERVM . PHYSICARVM . DOCTISSIMVM
ANGELVM . SECCHIVM . E . SOCIETATE . IESV
PERFECTIORE . ET . SIMPLICIORE . VSVM . INSTRVMENTO
LYMPHA . DCIII. PEDES . IN . ALTVM . SVBLATA
LONGOQVE . ITINERE . DEDVCTA
IN . MEDIO . FORO . PROSILVIT

DXVIII.

PLACERE . VNIVERSIS . OB . INSIGNE . FRANCISCI . XAVERII
DE . MERODE . IN . PATRIAM . N. MERITVM
VT . IPSE . EIVSQVE . FRATER . WERNERVS . COMES
EORVMQVE . POSTERI .
IN . ORDINEM . N. COOPTENTVR
EODEMQVE . IVRE . QVO . CETERI . CIVITATIS . N. PRIMORES
PERPETVO . FRVANTVR
VTIQVE . DECRETVM . HOC . AVCTORITATE . D. N. PII . IX. P. M.
MVNITVM . IN . TABVLAS . REFERATVR . EIVSQVE . EXEMPLAR
AD . V. C. FRANCISCVM . XAVERIVM . DE . MERODE . EIVSQVE
FRATREM . DEFERATVR CENSVERVNT

CONVENTVI . ADFVERE

IOSEPHVS . SILVESTRIVS . FAA . COMES . EQVES . PRAEFECTVS . MVNICIPIO

ANDREAS . CONTIVS
IOSEPHVS . BELLIVS
PETRVS . APOLLONIVS
FRANCISCVS . AMBROSIVS . TOMASIVS
ALOISIVS . CIPRANIVS
PETRVS . SALVATIVS
} A . CONSILIIS .

DXIX.

EMMANVELI . DE . MEDEIROS
PRIDIE . IDVS . NOVEMBRES . AN. MDCCCLXV.
FESTO . DIE . MAGNAE . DEI . MATRIS . MARIAE
PATROCINIO . TVENTIS . POPVLVM . CHRISTIANVM
ROMAE . AD . SANCTAE . CRVCIS . IN . CASTRIS . SESSORIANIS
SOLEMNIBVS . CAEREMONIIS . AVCTO . PONTIFICATV
OLINDAE . IN . BRASILIA
ET . DONATO . A . PIO IX. P. M. CRVCE
QVAM . PECTORIS . INSIGNE
IDEM . EPISCOPVS . SPOLETINVS . ET . FOROCORNELIENSIS
XX. ANNOS . INDVERAT
AD . AVSPICATISSIMI . DIEI . PERENNANDAM , MEMORIAM
GREGORIVS . LIPPARONIVS
DEDICAT *

* SUB IMAGINE MAGNAE DEI MATRIS MARIAE EXCVSAE ROMAE.

DXX.

A ☧ Ω

ADELAIS . CANCANIA
QVINQVENNIS
IX. KAL. SEXTILES . AN. MDCCCLXIII.
BEATIS . SEDIBVS . RECEPTA . EST
AVE . ANIMVLA . CANDIDA
VIVE . MEMOR
ALOISII . ET . ANNAE . MONTANIAE . PARENTVM *

* ROMAE IN COEMETERIO.

DXXI.

Α ☧ Ω

HEIC . VBI . PLVRES . HORAS . GENIBVS . NIXA
MAGNAM . DEI . MATREM . PERDOLENTEM
QVOTIDIE . EXORARE . CONSVEVERAT
QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
GELTRVDE . LABASTIDA
QVAE . VOLVPTATES . MVNDVMQVE . MVLIEBREM . ASPERNATA
LANEA . S. FRANCISCI . ASISINATIS . VESTE . INDVTA
CAELESTEM . IN . TERRIS . VITAM . EXEGIT
PATIENTIA . IN . ADVERSIS . CARITATE . IN . EGENOS . ET . AEGROS
PROLIS . RECTE . INSTITVENDAE . STVDIO
LIBERALITATE . IN . DEI . CVLTVM . EXIMIA
DECESSIT . OMNIVM . ORDINVM . DESIDERIO . ET . LACRVMIS
V. KAL. NOV. A. MDCCCLIX. AN. NA. LIV. M. VII. D VI.
AD . VXOREM . APPOSITVS . EST . TRANSLATO . CORPORE
FRANCISCVS . PLANCARTE
CONSILIO . PRVDENTIA . RELIGIONE . ET . IN . RELIGIONIS
IVRIBVS . TVENDIS . CONSTANTIA . CVRA . REI . FAMILIARIS
OPTIMI . CIVIS . ET . PATRISFAMILIAS . EXEMPLAR
DECESSIT . IV. NON. SEXTILES . A. MDCCCLIV. AN. N. LVIII. M. II. D. XXI.

ANTONIVS . SACERDOS
IOSEPHVS MARIA
IESVS
GABRIEL *
IOSEPHVS . A . CONCEPTIONE
RAPHAEL
MICHAEL
ALOISIVS

MARIA IOSEPHA
IGNATIA
FILII

PARENTIBVS . PLVS . DE . SE . MERITIS
QVAM . TITVLO . SCRIBI . QVEAT
POSVERVNT

* MEXICI IN AEDE SACRA.

DXXII.

IOANNI . MARTVCCIO
DOMO . MORTINA . IN . HYDRVNTINIS
MEDICO
CVIVS . OPERAM . SOLERTEM . AN. XXX. CIVITAS . N.
EXPERTA . EST
DECESS. XI. KAL. DEC. A. MDCCCLX. AN. NA. P. M. LXX.
MVNICIPIVM . VRBEVETANVM
CVI . MORIENS . LABORIS . SVI . FRVCTVS . TRANSMISIT
VT . IVVENVM . INSTITVTIO . PROVEHATVR
POSVIT
VIRO . BENEFICO
AN. CH. MDCCCLXV. *

* VRBEVETERE.

DXXIII.

ILLA . EGO . QVAE . ANNO . MDCCCXLIX.
SACRILEGO . PERDVELLIVM . AVSV . DIFFRACTA
ET . IN . BELLICOS . VSVS . MVTATA
NVNC . PRISTINVM . REVOCATA . AD . MVNVS
VOCOR . IOANNIS . ET . PETRONII . NOMINE
ET . AD . DEI . LAVDES . GENTES . ADVOCO

CVRAM . EGIT . IGNATIVS . ALBERGHINIVS . ANT. VRB. *

* IN ORBE AERIS CAMPANI. — ROMAE.

DXXIV.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
PETRVS . PAGLIAROLIVS
PHARMACOPOLA
ARTIS . QVAM . PROFESSVS . EST . CVLTOR . SEDVLVS
MORVM . INTEGRITATE . RELIGIONIS . STVDIO
DOMVI . ET . CIVIBVS . ORNAMENTO . FVIT
DECESSIT . IX. KAL. SEXSTILES . AN. MDCCCLXV.
ANNOS . NATVS . LXVIII. M. IX. D. XXII.
CAROLINA . IANNINIA . VXSOR
IOSEPHVS . ELISA . FRANCISCA . AEMILIA
PARENTI . OPTIMO
POSVERVNT *

* CYNTHIANI.

DXXV.

A ☧ Ω

HEIC : QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
GEORGIVS . IOANNIS . F. TYLEE
GENTE . ANGLVS
DVCTOR . ORDINVM . IN . EXERCITV . BRITANNICO . APVD . INDOS
DECESSIT . VIII . ID. MAIAS . A. MDCCCLXV.
AN. N. LVIII.
DEO . VSQVE . AD . EXTREMVM . SPIRITVM . GRATIAS . EGIT
QVOD . AB . ERRORE . AD . VERITATEM . TRADVCTVS
CORPVS . ROMAE . AD . MARTYRVM . CRYPTAS . COMPONERET
AVE . GEORGI
LVX . TIBI . CAELESTIS . CVM . SANCTIS
AFFVLGEAT *

* ROMAE IN COEMETERIO.

DXXVI.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
MARIANVS . BRACCINIVS . ARCHIPRESBYTER
DOMO . MANTIANA . APVD . SVTRIVM
SOLERS . PATIENS . LABORIS . IN . ANIMIS
AD . PIETATEM . EXCOLENDIS
AEDEM . CVRIALEM . VT . CRESCENTI . POPVLO
AVGVSTIVS . PATERET . LAXAVIT . INSTAVRAVIT . ORNAVIT
DECESS. VI. KAL. MAIAS . A. MDCCCLXV.
ANNOS . NATVS . LIII. M. IV. D. XXV.
VINCENTIVS . POSVIT
FRATRI . OPTIMO *

* ALVMERIIS APVD CORNVETVM.

DXXVII.

IN . HONOREM . D. N. MARIAE . MATRIS . DEI . DESIGNATAE
THOLVS . ARAE . PRINCIPI . IMPOSITVS . A. C. MDCCCLXV.
CENSIBVS . PRIMI . SVBSELLII . CANONICORVM
PIO . IX . PONT. MAX. ANNVENTE . VOTIS . COLLEGII . CANONICORVM

* TVDERTE IN AEDE PRINCIPE. TITVLI INSCRIPTI QVATVOR ZONIS NOVI THOLI.

DXXVIII.

AN. MDCCCLXV.
BENEFICIO . ET . PROVIDENTIA
D. N. PII . IX. P. M.
ITER . A . VIA . CONSVLARI . AD . ROIATENSES
RVPIBVS . EXCISIS . PATEFACTVM
ASCENSV . MOLLITVM
SVBSTRVCTIONE . CONTRA . LABEM . MONTIS
SVFFVLTVM

* IN VIA SVBLACENSI.

DXXIX.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
MARIA . PACCA
IOSEPHI . MARCHIONIS . ET . CAMILLAE . EX . DVCIBVS . GALLI . F.
DOMO . BENEVENTO
QVAE . IN . NOBILI . GYNAECEO . DIVINI . CORDIS . IESV
AD . OMNEM . LAVDEM . INSTITVTA
INNOCENTIA . INGENIO . PIETATE . INTER . AEQVALES . ENITVIT
A . MAGNA . DEI . MATRE . QVAM . STVDIOSE . COLVIT
AD . CAELESTES . CHOROS . EVOCATA . EST
VIII. ID. NOV. A. MDCCCLXIV. AN. N. XIV. M. V. D. XXI.
MORIENS . NVMMOS . SIBI . ANIMI . CAVSA . ATTRIBVTOS
PAVPERIBVS . IN . QVIBVS . CHRISTVM . DEVM
INTVEBATVR . DISPERTIVIT
AVE . ET . VIVE . IN . DEO . OCELLE . NOSTER
MEMOR . TVORVM *

* ROMAE IN COEMETERIO.

DXXX.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
MARIA . IOACHIMI . F. SEBASTIANIA
QVAE . BONAVENTVRAE . SANTARELLIO . NVPTA
BALNEOREGIENSIBVS . RELIGIONE
MORVMQVE . GRAVITATE
EXEMPLO . FVIT
VIRO . ORBATA . ROMAM . REMIGRANS
PIE . ET . CASTE . VITAM . EXEGIT
IOSEPHVM . MATRIS . DEI . MARIAE . CONIVGEM
COLVIT . STVDIO . SINGVLARI
VTQVE . MAIOREM . AB . EO . GRATIAM . INIRET
PAVPERCVLIS . MENSAM . STATIS . DIEBVS . APPOSVIT
AEGROS . OMNI . OPE . IVVIT
DECESS. XIII. KAL. MAIAS . AN. MDCCCLXV.
ANNOS . NATA . P. M. LXIV.
HELENA . POSVIT
MATRI . SVAVISSIMAE *

* ROMAE IN AGRO VERANO.

DXXXI.

A ☧ Ω

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
IGNATIVS . GAVINVS . BONAVITA
EQVES . MICHAELIANVS . ET . GEORGIANVS
CRVCE . MAGNA . EXORNATVS
PRAESES . COLLEGIO . IVDICVM . CRIMINIBVS . ANIMADVERTENDIS
INGENIO . DOCTRINA . SENTENTIIS . LATIS
EXTERORVM . ET . CIVIVM . LAVDES . PROMERVIT
CATHOLICAM . RELIGIONEM . REBVS . OMNIBVS . ANTETVLIT
DIVTVRNI . VIM . MORBI
ANIMO . IN . CHRISTI . DEI . CRVCIATIBVS . DEFIXO
LIBENTER . TVLIT
DECESS. KAL. SEXTIL. AN. MDCCCLXV.
AN. NA. P. M. LXXIII.
RAYMVNDVS . MARIANNA . CARMELA
FRATRI . OPTIMO
P. *

* MELITAE.

DXXXII.

IOANNI . BERCHMANS
CAELITVM . BEATORVM . HONORIBVS . AVCTO
SOLEMNIA . IN . TRIDVVM . AGIT
SODALITAS . PARVVLORVM . COLLEGII . ROMANI
VT . EO . PATRONO . AVCTORE . DVCE
VIRTVTIS . VIAM . MATVRE
INEANT *

* ROMAE TRIBVS SVPREMIS DIEBVS ANNI MDCCCLXV.

DXXXIII.

AVGVSTO . CORAZZINIO
INGENIO . DOCTRINA . MORIBVS
AD . OMNEM . LAVDEM . SVCCRESCENTI
CVI . EXIMIA . ANATOMES . SCIENTIA
ADITVM . AD . BENE . DE . AEGROTIS . MERENDVM
RECLVSERAT
DECES. PRID. NON. FEBR. A. MDCCCLXVI.
AN. NA. XXVI. M. IX. D.
CAESAR . FILIO . SVAVISSIMO
CVM . LACRIMIS
P. *

* ROMAE IN AGRO VERANO.

DXXXIV.

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE
HYGINA . IACOBI . F. POLVERISIA
DOMO . ERETO . IN . SABINIS
VIRGO
E . COETV . FILIARVM . D. N. MARIAE
PVDOREM . IVNXIT . PIETATI
PIETATEM . STVDIO . ORANDI . FOVIT
CHRISTVM . IN . PAVPERIBVS . ALVIT
DECES. VIII. KAL. OCTOB. A. MDCCCLXVI.
ANNOS . NATA . XV. M. X. D. XXIX.
VALE . HYGINA
ET . VIVE . IN . DEO *

* PALEANI IN LATIO.

DXXXV.

MEMORIAE . ET . QVIETI
FERDINANDI . FRANCISCI . F. IACOBS
SACERDOTIS
DOMO . REVENA . IN . PLEVMOSIIS
E . SACRO . EPHEBEO . BELGICO
MORIBVS . INTEGERRIMIS
QVI . IVRIS . PONTIFICII . ET . CIVILIS . LAVREAM
IN . ATHENAEO . ROMANO . ASSEQVVTVS
COETVI . DECRETIS . CONCILII . TRIDENTINI . INTERPRETANDIS
OPERAM . DABAT
DVM . SVI . IMMEMOR . BELGAS
IN . EXERCITV . PONTIFICIS . MAXIMI
AD . PIETATEM . EXCOLIT
DECESSIT . III. IDVS . SEXTILES . AN. MDCCCLXVI.
ANNOS . NATVS . XXVI. M. II. D. XVI.
GASPAR . LABIS
EPISCOPVS . TORNACENSIS
SPEM . ECCLESIAE . SVAE . PRAEREPTAM . DOLENS
POSVIT *

* ROMAE IN AEDE SACRA COLLEGII BELGICI.

DXXXVI.

HEIC . AD . MARTYRVM . CINERES
APPOSITA . EST
CVM . PETRO . FILIOLO . DIERVM . XXXII.
MARIA . CATHARINE . LEOPOLDINA
HENRICI . DE . PERIGNON . MARCHIONIS . F.
E . REGIONE . VOLCARVM . IN . GALLIA
IN . DEVM . PIA . IN . PAVPERES . BENEFICA
INANIVM . VOLVPTATVM . NEGLIGENS
DECESSIT . X. KALENDAS . FEBRVARIAS . AN. MDCCCLXVI.
ANNOS . NATA . XXX. MENSES . VIII. D. XIII.
HENRICVS . DE . FALENTIN . DE . SAINTENAC . VICECOMES
PRAEFECTVS . ALAE . EQVITVM
IN . EXERCITV . PONTIFICIS . MAXIMI
MOERENS . POSVIT
VXSORI . PVDICAE
QVACVM. XXX. MENSES . EXEGIT . CONCORDISSIME
AVETE . ET . VIVETE . IN . DEO
ANIMAE . SVAVISSIMAE *

* ROMAE IN CELLA AGRI VERANI.

DXXXVII.

HEIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
DOMINICVS . MARIA . VINCENTII . DE . BISOGNIIS . MARCHIONIS . F.
DOMO . NEAPOLI . CLARO . GENERE
SACERDOS
HVIVS . AEDIS . CVI . PRAEFVIT . ABBAS
DECORI . CONSVLVIT
MAGNAE . DEI . MATRI
MARIAE
CVIVS . SE . OBSEQVIO . DEVOVERAT
ARAM . E . MARMORE . CONSTITVIT
EIVS . CVLTVM . OMNI . OPE . PROVEXIT
CORPVS . AFFLICTANDI . CAELESTIA . COMMENTANDI
PAVPERCVLOS . AD . VIRTVTEM . EXCITANDI . STVDIVM
ANIMI . DEMISSIONE . ET . RERVM . HVMANARVM
CONTEMPTV . ORNAVIT
IX . MENSIVM . MORBO . AD . CHRISTI . PATIENTIS
IMAGINEM . CONSTANTER . PERLATO
DECESSIT . VI . KAL . IVN . AN . MDCCCLXVI
ANNVM . AGENS . XXVII . MENS . VIII . D . IV
CAROLVS . ALPHONSVS . IOSEPHVS . MICHAEL
FRATRI . SANCTISSIMI . EXEMPLI
POSVERVNT *

* In aede D. N. Mariae Opiferae in ora maris ad Herculanum apud Neapolim.

DXXXVIII.

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
CONSTANTIA
IOANNIS . DE . PETRO . VIRI . CLARISSIMI . F.
VXSOR . ALOISII . SERAFINII
PIETATE . IN . DEVM . VIGILANTIA . IN . FILIOS
IN . VIRVM . COMITATE
MATRIBVSFAMILIAS . EXEMPLAR
INANIBVS . VOLVPTATIBVS . CVRAM . DOMVS . ANTETVLIT
DECESS. XV. KAL. IVN. AN. MDCCCLXIV. *
AN. NA. XLI. M. III. D. IX.
MARITVS . CVM . LACRVMIS
POSVIT
VXSORI . INCOMPARABILI
AVE . CONSTANTIA
ET . VIVE . IN . DEO

* ROMAE in sacello gentis Serafiniae ad S. Mariae in foro Minervae.

DXXXIX.

Ω ☧ Α

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
IOANNES . BAPTISTA . BARTHOLOMAEI . F. CARETTONIVS
DOMO . PRAECASALEO . APVD . BRIXIAM
IVRIS . PONTIFICII . ET . CIVILIS
IN . ROMANO . ATHENAEO . AVDITOR
MORVM . INTEGRITATE . RELIGIONIS . STVDIO
IN . DOCTRINIS . PERCIPIENDIS . SOLERTIA
AEQVALIBVS . IN . EXEMPLVM
PIE. DECESS. PRID. ID. APRIL. A. MDCCCLXVI.
ANNVM . AGENS . XX. D. XVI.
VNVM . DOLENS . QVOD . PARENTES . ALLOQVI . SVPREMVM . NEQVIRET
FRANCISCVS . SACERDOS . IACOBVS . SACERDOS
QVI . ROMAM . ADVOLANTES . MORIENTI
ADFVERVNT
FRATRI . OPTIMO . CONCORDISSIMO . POSVERVNT
DESIDERIVM . CARI . CAPITIS . DELINIENTES
QVOD . IN . MARTYRVM . SEPVLCRETO
IVVENEM . FRAVDVM . MVNDI . EXPERTEM
CONDIDERINT *

* ROMAE IN AGRO VERANO.

DXL.

HEIC . MOESTI . CONDIDIMVS
EVGENIVM . FILIVM
NATVM . ANNOS . III. MENS. X.
DECESSIT . VIII. IDVS . SEPTEMB. AN. MDCCCLXVI.
VIVE . IN . DEO
EVGENI
VIVE . MEMOR
AVGVSTI . BRAVII . ET . LEONILDES . HVBERT
PARENTVM *

* TVSCVLI.

DXLI.

IRENE . FORLINIA
ANNOS . NATA . IV. MENSES . XI.
A . MAGNA . DEI . MATRE . MARIA
AD . AGNI . NVPTIAS . EVOCATA . EST
KALENDIS . SEXTILIBVS . AN. MDCCCLXIV.
AVE . COLVMBA . CANDIDISSIMA
AVE . AMOR . NOSTER
VIVE . IN . CHRISTO
MEMOR . PHILIPPI . ET . ANGELAE . PARENTVM *

* ALBANI IN COEMETERIO.

Fidem haud facile invenient, quae de Irene tum Philippus pater, vir clarissimus, praetor pontificius, tum alii suis oculis usurparunt. Irene cum vix alterum iniret annum, eo pietatis studio erga Virginem Matrem Dei ferebatur, ut ad eam in tabula pictam utrasque manus protendens e sinu matris accederet, nullumque suaviandi finem faceret. Mariae sanctae nomen, ut primum fari coepit, illi in ore frequens erat, Mariam parentis suae nomine compellabat. Nec puellae sua certamina defuere, suaeque pugnae. Cum enim ingenio longe aequalibus antecelleret; earumque nemini memoriter pronuntiandi venustate et gratia concederet, eius virtuti et praemiis sociae invidebant, eamque male multabant. Irene omnes aequo animo ferre, nemini irasci, et ad patrem conversa: Quin illis gratificamur? Beneficentia in pauperes cum Irene nasci, cumque ea adolescere visa est: numquam laetior quam cum aut nudos veste, aut fame laborantes pane nummisve refecisset. Studiosa florum Matri Dei Mariae recentia serta saepe legebat, cumque a sapiente rogaretur, ut cor eidem dono daret; id inquit iampridem obtuli. Pudor et modestiae comes decor oculos vultum gressus verba motus singulos Irenes ita moderabatur, ut omnes in eam admiratione intenti ora tenerent, et tali prole beatos parentes praedicarent.

At vero hunc suaviter olentem florem manu sua decerpsit Virgo: febri enim mensem solidum conflictata Irene, se a Matre Dei ad caelum advocari dixit: verbis fidem eventus tribuit. Kalendis enim sextilibus nocte appetente animam placide efflavit Albani, ubi, urbe relicta, aestivos menses cum suis agebat. Parentibus gratulandum, quod filiolam innocuam sordiumque humanarum immunem ad caelitum beatorum choros praemiserint.

DXLII.

A ☧ Ω

HEIC . APVD . AVIAE . SVAE . FRATREM
GREGORIVM . TAMBVRINIVM
CONDITVS . EST
CAIETANVS . IOSEPHI . LEVIZZANII . CIRELLII . F.
INGENIO . PIETATE . INTEGRITATE . MORVM
EXIMIAM . SVI . SPEM . FECERAT
MATHESI . OPERAM . CVM . LAVDE
DABAT . IN . ATHENAEO . ROMANO
DECES. POSTR. KAL. SEPT. A. MDCCCLXVI.
ANNOS. NATVS. XVIII. M- III. D. XI.
AVE . ET . VIVE
IN . DEO *

* FERRARIAE IN COMMUNI SEPULCRO.

DXLIII.

HEIC . QVIESCIT
ARCHANGELVS . LAGHIVS
ANTONII . AVGVSTI . ET . THERESIAE . FANTAGVZZIAE . F.
INGENIO . LITTERIS . ERVDITIONE
ARTEM . MEDICAM . ORNAVIT
IN . EGENTES . ET . MISEROS
OPERAM . SOLERTEM . CONTVLIT . IMMEMOR . SVI
MORIENS . MAGNAM . DEI . MATREM . MARIAM
EFFVSIS . LACRYMIS . ROGAVIT . VT . SIBI . DEVM . CONCILIARET
DECESSIT . IDIBVS . IANVARIIS . AN. MDCCCLXVI.
ANNOS . NATVS . LXI. M. VIII. D. II.
THERESIA . MATER
FERDINANDVS . FRATER
POSVERVNT *

* FAVENTIAE IN AEDE SACRA.

DXLIV.

MEMORIAE . ET. NOMINI
CAELESTINI . CAVEDONII
SACERDOTIS
DOMO . MVTINA
AETATIS . NOSTRAE . ORNAMENTI . ET . DECORIS
QVI . ERVDITIONIS . COPIA . INGENII . VI
GRAECI . ET . HEBRAEI . SERMONIS . VSV
LVCEM . LITTERIS . SACRIS . ET . PROFANIS . ATTVLIT
ANTIQVITATIS . MONVMENTA
NVMMOS . TITVLOS . FASTOS
ACRI . INVESTIGATIONE . SCRVTATVS . EST . RETEXIT
VERVM . A . VERI . SPECIE . IN . ANCIPITI
CONTROVERSIA . DISCREVIT
LITES . DIREMIT
DOCTRINAM . EXIMIAM . STVDIO . VIRTVTIS
MORVM . SANCTITATE
FIDE . IN . PONTIFICES . MAXIMOS
RELIGIONIS . PATROCINIO
HONESTAVIT
DECES. VI. KAL. DECEMB. A. MDCCCLXV.
ANNOS . NATVS . LXX. M. VI. D. IX.
AMICI . VETERES
LAVDATIONEM . ET . LACRVMAS

* In commentario de vita et scriptis viri clarissimi Caelestini Cavedonii edito Mutinae ab eruditis viris Petro Bertolottio, Iosepho Levizzanio, Antonio Dondio, Aloisio a Valle.

DXLV.

BENEDICTA . DE . MAISTRE
TRIMA . ANGELORVM . CHORIS . ADDITA . EST
KALENDIS . DECEMBRIBVS . AN. MDCCCLXVI.
PRIDIE . IN . CHRISTI . MILITIAM . SACRO . CHRISMATE . INSCRIPTA
VIVE . IN . DEO
BENEDICTA
MEMOR. EVGENII . ET . MARIAE . DE . MENTHON
PARENTVM *

* ROMAE in aede D. N. I. C. apud amitam quae ibi condita est.

DXLVI.

Α . ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
MARIANNA . LAELII . FRANCESCHII . EQ. TORQ. FILIA
VXSOR . ALEXANDRI . ROSSELMINII . GVALANDII . EQ.
QVAE . PIETATIS . STVDIVM . A . TENERIS . HAVSTVM
VSQVE . AD . EXTREMVM . SPIRITVM . SERVAVIT . AVXIT
VIRO . QVOCVM . CONIVNCTISSIME . VIVEBAT . INOPINA . MORTE . SVBLATO
HVMANIS . REBVS . NVNTIVM . REMISIT
FILIO . XX. ANNOS . NATO . MORIENTI . ADFVIT . PIIS . HORTATIBVS
PAVPERVM . CVRAM . EGIT
AEDEM . HANC . TEMPORVM . INIVRIA . FATISCENTEM
INSTAVRAVIT . ORNAVIT . SVPELLECTILI . INSTRVXIT
MATREM . DEI . MARIAM . MIRIFICE . COLVIT
EIVSQVE . NOMEN . VSVRPANS . DECESSIT
XIII. KALENDAS . APRILES . ANNO . MDCCCLXV.
ANNVM . AGENS . XLVII. M. IX. D. XX.
LVDOVICVS . ET . EMMA
MATRI . IN . EXEMPLVM . PIAE
CVM . LACRVMIS . POSVERVNT *

* ARBAOLAE APVD PISAS IN SACRA AEDICVLA.

DXLVII.

THOMAE . MAZZANIO
SACERDOTI
E . COLLEGIO . PATRVM . CANONICORVM . BASILICAE . LATERANENSIS
DOCTORI . DECVRIALI . PHYSICAE . TRADENDAE . IN . ATHENAEO . ROMANO
DIVINI . CVLTVS . PROVEHENDI . STVDIO
LABORIBVS . IN . ADOLESCENTIVM . ANIMIS
AD . VIRTVTEM . EXCOLENDIS
HONORVM . DIVITIARVM . NOMINIS . INANIS . CONTEMPTV
KLERO . ET . POPVLO
IN . EXEMPLVM
IVVENES . ARTIVM . LIBERALIVM
IN . S. LVCAE . ACADEMIA . CVLTORES
SOLEMNIA . FVNERIS
PERSOLVVNT
VIRO . BENEFICENTISSIMO
QVEM . PIETATIS . MAGISTRVM . XXXX. ANNOS
LOCO . PARENTIS . COLVERVNT *

* Titulus temporarius in fronte Aedis s. Martinae V. M. propositus idibus decembribus anno 1866. Natus erat Thomas Mazzanius postridie Kal. Maias anno 1794, diem suum obivit nonis octobribus anno 1866.

DXLVIII.

MARIA
MAGNA . DEI . MATER
SI . NOS . VNO . ANIMO . VNAQVE . FIDE
TVAS . IN . MENSEM . LAVDES . CONCINVIMVS
TVAMQVE . CIRCVM . ARAM . FREQVENTES
VOTA . PRECESQVE . FVDIMVS . SVPPLICITER
SI . TE . CERTVM . CHRISTIANAE . REI . PRAESIDIVM
ET . LABORANTI . ECCLESIAE . PERFVGIVM
SOLEMNI . COLVIMVS . RITV
ASPICE . NOS
HOC . TE . VNVM . ORAMVS
HOC . POSCIMVS . FIDENTER
COR . NOSTRVM
QVOD . TIBI . DEDICAMVS
ET . PROPRIVM . SACRAMVS
CAPE . BONA . MATER
HOC . HABE . TIBI
HOC . TVO . IN . POSTERVM . MODERARE . NVTV
HVC . ILLVC . VERTE . QVO . LVBEBIT
TIBI . POTESTAS . TIBI . COPIA . QVIDQVID . VIS . AGENDI
TVO . IN . SINV . FOVEAS . ET . FOTVM . SERVES . VSQVE
DONEC . OPE . TVA . BEATVM
TECVM . IN . CAELIS . EXIGEMVS . AEVVM *

* Ferrariae: in aede Hagnes virginis et martyris mense maio anno MDCCCLXVI honos tributus est quotidie Magnae Dei Parenti, isque quam maxime IX Kalendas iunias, qui dies Mariae hoc nomine sacer est quod Christianis sit Auxilio: extremo autem mensis die omnes Magnae Dei Matri pietate singulari cor obtulerunt.

ANIMADVERTENDA ET EMENDANDA

Lector amice, ut mihi indulgeas rogo: si a titulo VII ad CCXXV saepe sim obsecutus mori pervagato, nec cognomina ad latinos casus inflexerim, a qua scribendi ratione in reliquis titulis discessi.

			ERRATA	CORRIGE
Pag.	64	in nota	Otriculi	Ocriculi
»	107	in nota	Inscriptis	Inscriptus
»	117		4	3
»	129		Rectefactis	Recte . Factis
»	176		Strenne	Strenue
»	327		Pontitex	Pontifex
»	470		CCCCVXI.	CCCCXXVI.
»	472		MDCCXC.	MDCXC.
»	480		Nepisinae	Nepesinae
»	»		Desidebio	Desiderio
»	499		Christ	Christi
»	501		Picino	Piceno
»	543		Sanctae	Sancte
»	563		Excusae	Excusa

A num. 184 gradus factus est ad numerum 186, omisso per errore numero 185.

INDEX

NOMINVM, GENERIS, LOCI, NVMERI INSCRIPTIONVM

OPERIS PARTITIO ET ARGVMENTVM

INSCRIPTIONES SACRAE FVNEBRES HISTORICAE HONORARIAE

A

B

C

D

M

W

Z

OMNIA . IN . DEI . LAVDEM . CEDANT
ET . REI . CHRISTIANAE . BENE . VERTANT

MANVS . EXTREMA . OPERI . EDENDO

IMPOSITA

VII. EIDVS . DECEMBRES . AN. MDCCCLXVII.

QVI . DIES . ANTEIT

CONCEPTVM . OMNI . LABE . IMMVNEM

D. N. MARIAE

AVSPICIS . MEORVM . LABORVM

NIHIL OBSTAT
Alexander Ponza Soc. Ies. Praepositus Provincialis.

IMPRIMATUR
Fr. Raph. Arch. Salini O. P. S. P. A. Mag. Socius.

IMPRIMATUR
P. Castellacci-Villanova Archiep. Petr. Vicesg.